ST. ALBERT'S COLLEGE LIBRARY

ENCHIRIDION SACERDOTALE

P. SEBASTIANUS UCCELLO
Congr. Ssmi Sacramenti

ENCHIRIDION SACERDOTALE

AD EUCHARISTICAM ADORATIONEM ATQUE PRÆDICATIONEM FACIENDAM

juxta
quadruplicis sancti Sacrificii finis methodum
Sacræ Scripturæ verbis concinnatum.

Accedit
EPITOME EUCHARISTICA
ex SS. Patrum ac sacr. Scriptorum dictis.



TAURINI (Italia)
Domus PETRI MARIETTI a. 1820 condita
MARIO E. MARIETTI
Sanctæ Sedis Apostolicæ et S. RR. Congregationis
necnon et Archiep. Taurinensis Typographo, possessore

MCMXXIV

Nihil obstat.

EUGENIUS COUET

Sup. Gen. Congr. a SS. Sacramento

V. Nihil obstat.

Taurini, 12 Decembris 1923.

CAN. STEFANUS RONCO, *Rev. Del.*

Imprimatur.

FRANCISCUS DUVINA, *Del. a Vic. Cap.*

PROPRIETÀ LETTERARIA (20-24-III-24-1M)

PRÆLOQUIUM

« *Venit hora, et nunc est, quando veri adoratores adorabunt Patrem in spiritu et veritate. Nam et Pater tales quærit, qui adorent Eum* » (JOAN. IV, 23).

Oportet, nunc maxime, Jesum regnare; dominatio autem et regnum summi Regis ac Salvatoris nostri Dei, hisce in terris, in latreutico atque eucharistico cultu præcipue innititur, quo magis magisque eius revera agnoscas jura et ei rite debita perssolvas. Quapropter, haud inutile existimavi tibi, benevole lector, gloriæ Dei cupido, tenue hoc ac qualecumque offerre opus quod spiritui tuo satis superque quae dicas et quae mediteris coram Domino submi-nistret, ut digne eum honorifices et quae tibi mandavit recte adimpleas.

3945.

Suscipe, quæso, benigne verba in hoc libello contenta; nam, etsi non uno tempore nec eodem loco prolata, verba sunt ex Bibliis decerpta et secundum quoddam vinculum, divi Bernardi vestigiis insistendo, inter se colligata ut completum tibi argumentum præstent.

Hoc tibi et mihi sit solamen praesertim in diebus spiritualis siccitatis, Jesum in Eucharistia latentem, nonnisi, ut aiunt, de suo rogasse. Ex verbis enim Sacræ Scripturæ totus fere liber contexitur; unde si in opere deficit industria, non deerit saltem materia et copia nec certa utilitas.

Ad Deum loqui ac potissimum verba in Scripturis contenta meditari, profectui animæ tuæ erit maximo, quandocumque coram Augustissimo Eucharistiæ Sacramento id facere curabis.

Media, insuper, in promptu tibi erunt sive ad docendum sive ad prædicandum verbum Domini, præsertim si novus in curriculo sacerdotali inveniaris.

Methodus autem quæ offertur, haud nova tibi esse potest: fines enim sequitur per

quos in Eucharistia Jesus commorat et tu Sacrum quotidie facis; tibique in tanto hoc munere adimplendo adjutorium, præparatio ac gratiarum actio fieri potest æque ac *Manuale Parvum* quod iam vidit lucem. Vale.

AUCTOR.

ENCHIRIDION SACERDOTALE

TITULUS I.

JESUS: FILIUS DEI VIVI

I. — Adoratio.

Ego credidi, Domine Jesu, quia tu es Christus Filius Dei vivi, qui in hunc mundum venisti, et in quo Pater sibi bene complacuit quia ante luciferum genuit te. In altissimis habitas et thronus tuus in columna nubis; tu qui es principium, qui et loqueris nobis, ex ore Altissimi proditus primogenitus ante omnem creaturam. Abyssus tuus abyssum invocat in voce cataractarum tuarum et ideo descendis et venis in altitudinem maris ut tempestas demergat te. Stupebunt sane justi super hoc. Ipse enim es Dominus dominantium, Deus magnus et potens et terribilis, qui personarum non es acceptor nec munera

accipis nisi bonæ voluntatis et libentis cordis. Filius Dei es et temetipsum exinanisti formam servi accipiens, et habitas in nobis qui et sumus domus tua spiritalis, gens sancta, regale sacerdotium, populus acquisitionis.

Fixuram clavorum non vidi, manum in tuum latus non misi, attamen credo, Domine, et procidens adoro te Verbum caro factum ut in nobis habitares.

Hæc requies tua in sæculum sæculi, Sancte Dei, cujus deliciæ esse cum filiis hominum, nostri similis effectus ut consortes efficiamur divinæ naturæ et potestatem habeamus filios Dei fieri. Copulas tibi Ecclesiam non habentem maculam aut rugam, stantem supra firmam petram. Domum tuam, Domine, decet sanctitudo, nosque genus electum decet conversatio in cœlis et in sinu Matris nostræ filiorum lætantis.

II. — Gratiarum actio.

In hoc apparuit charitas Dei in nobis, quoniam Filium suum misit Deus in mundum ut vivamus per ipsum. Positus est in nube et erit signum fœderis inter Patrem suum et terram; cumque obduxerit nubibus cœlum, apparebit arcus

ST. ALBERT'S COLLEGE LIBRARY

eius in nubibus et recordabitur fœderis sempiterni, novi et æterni testamenti. Proprio Filio suo non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum; et in hoc apparuit Filius Dei, ut dissolvat opera diaboli. Scimus enim quia ille apparuit, ut peccata nostra tolleret, et peccatum in eo non est. Quæ Dominus Deus noster victor obtinuit, in nostram cedent possessionem.

Homines sæpe irritaverunt Deum in adinventionibus suis, quapropter elevavit manum suam super eos ut prosterneret eos, sed stetit Jesus et placavit et cessavit quassatio; stetit Mediator in confractione. Sic Deus dilexit mundum ut Filium suum unigenitum daret, ut omnis qui credit in eum non pereat sed habeat vitam æternam. Ipse est datum optimum, donum perfectum, quod desursum est; ipse lapis angularis, electus, speciosus, qui potens est de lapidibus suscitare filios Abrahæ.

Quomodo cum descendit imber et nix de cœlo, illuc ultra non revertitur sed inebriat terram et infundit eam, sic et Filius Dei semel in terram delapsus, e sinu Patris, illam non deserit, sed sicut stillicidia stillantia super terram inebriat et fœcundat. Filius Dei, Panis Dei

est quem dedit nobis Dominus ad vescendum; nam pane suavissimo de cœlo præstito esurientes replet bonis.

III. — Propitiatio.

Non credentes inhabitare Dominum Deum nostrum super terram, adjurant te per Deum vivum ut dicas si tu es Christus Filius Dei vivi, et nisi viderint in manibus tuis fixuram clavorum et mittant manum in latus tuum non credent. Positus es in ruinam et resurrectionem multorum. Sed nemo nos seducat; qui facit justitiam justus est sicut et tu justus es. In hoc manifesti sunt filii Dei et filii diaboli. Quicumque enim spiritu Dei aguntur ii sunt filii Dei; qui autem potestatem filios Dei fieri rejiciunt, ii ex patre diabolo sunt qui homicida erat ab initio. Impletur verbum, quod dixerat: «Eritis sicut dii»; Verbum enim caro factum est et fructum vitæ comedimus, pulchrum visu, gustu suave, aspectuque delectabile, quo divinæ efficimur consortes naturæ. Sed quis credidit auditui nostro et brachium Domini cui revelatum est?

Qui dicit se in te manere, debet sicut tu et ipse ambulare, sed omnes nos quasi

oves erramus et nisi tu frater noster, filius Patris nostri qui est in cœlis, reduceres nos in viam rectam, viam salutis non inveniremus. Non confunderis fratres nos vocare, at nos confundimur confiteri nomen tuum. Quid dicemus ad hæc? Filium suum misit Deus in terram, factum ex muliere, factum sub lege ut eos qui sub lege erant redimeret; sed sui eum non recipiunt. Stupescite, cœli, super hoc et portæ eius desolamini vehementer. Si Pater ego sum, ait Dominus, ubi est honor meus? Pater juste, mundus te non cognovit; ego autem te cognovi et notum faciam. A te, in te, per te incipiam et perficiam omnia, ut societas mea sit tecum, Pater, et cum Filio tuo.

IV. — Oratio.

Fac mecum, Pater, ut ædificem domum non manufactam nomini Filii tui, ut consacrem eam ad adolendum incensum coram illo, et fumiganda aromata et ad propositionem panum sempiternam, et ad holocautomata mane et vespere. Domus quam ædificare cupio magna est; magnus enim es Deus noster. Pater gloriæ, da mihi spiritum sapien-

tiæ et revelationis in agnitione Filii tui Jesu Christi, ut glorificem et portem ipsum in corpore meo et ubique ejus sanctificetur nomen, adveniat regnum et voluntas fiat. Da nobis, Pater clementissime, Spiritum Filii tui in cordibus nostris in quo clamemus: Abba Pater; aspice, Deus, et respice in faciem Christi tui. Et ut filii tui nominemur et simus, da nobis manna absconditum, panem hunc qui de cœlo descendit, omnem saporis suavitatem in se habentem, dulciorem ori meo super mel et favum. Descendat super nos virtus sanguinis ejus sicut pluvia in vellus et sicut stillicidia stillantia super terram. Respice nos per viscera misericordiæ in quibus nos visitasti oriens ex alto, et oculos tuos ne transvertas a nobis. Fac ut per Filium tuum plene adoptionem filiorum recipiamus in laudem gloriæ tuæ ut per ipsum et in ipso sanctificati crescamus, in omne opus bonum fructificantes. Ne des alteri honorem nominis tui et gloriam tuam.

TITULUS II.

JESUS: SPLENDOR PATRIS

I. — Adoratio.

Afferte Domino gloriam et honorem, afferte Domino gloriam nomini ejus, adorate Dominum in atrio sancto ejus. Ipse enim est imago Dei invisibilis, primogenitus omnis creaturæ; in ipso inhabitat omnis plenitudo Divinitatis corporaliter.

Egressus ejus ab initio, a diebus æternitatis in qua clamat: Ego sum qui sum: hoc nomen est mihi in æternum et hoc memoriale meum in generationem et generationem. Cœlum mihi sedes est, terra autem scabellum pedum meorum. Quam domum ædificabitis mihi, dicit Dominus, aut quis locus requietionis meæ?

Elevata est magnificentia tua super cœlos; in conspectu tuo montes a fundamentis movebuntur cum aquis, petræ sicut cera liquescent ante faciem tuam.

Tu ipse, Domine, fecisti cœlum et cœlum cœlorum et omnem exercitum eorum, terram et universa quæ in ea sunt, et tu vivificas omnia et exercitus cœli te

adorat; et tu ipse elegisti domum invictam ad invocandum nomen tuum in ea, ut esset domus orationis et obsecrationis populo tuo. In splendoribus sanctorum gigneris et caro factus es; Patris es speculum et imago bonitatis Illius, et ecce quasi unus ex nobis factus es. Volas super pennas ventorum et funiculis Adæ retineris. Scio qui sis, Sancte Dei, splendor æterni Patris, qui cum sis splendor gloriæ et figura substantiæ ejus portansque omnia verbo virtutis tuæ, sedes ad dexteram majestatis in excelsis.

Posuisti tenebras latibulum tuum. Ipsemet dixisti: Jam nunc veniam ad te in caligine nubis; dicebasque Moysi: Non poteris videre faciem meam: non enim videbit me homo et vivet: qui apparui Abraham, Isaac et Jacob, et nomen meum Adonai non indicavi eis.

Ecce nunc tabernaculum Dei cum hominibus; inclinasti cœlos et descendisti et caligo sub pedibus tuis; Deus noster adest nobis, verus Emmanuel vera et substantialis imago Patris.

Venite ergo omnes qui timetis Deum, confitemini illi, Regemque sæculorum exaltate in operibus vestris, venite et adorate et procidite ante Deum nec curiosius mysterium Regis scrutemini. Po-

suit enim tenebras latibulum suum; et sicut qui mel multum comedit non est ei bonum; sic qui scrutator est majestatis, opprimetur gloria.

II. — Gratiarum actio.

Attamen accedamus ad radices montis qui ardet usque ad cœlum; suntque in eo tenebræ et nubes et caligo. Ex altitudine montis inclamas, Domine: Ego sum lux mundi: mandatum novum do vobis. Jam scriptum est: Mandatum hoc quod ego præcipio tibi hodie, non supra te est neque procul positum nec in cœlo situm ut dicere possis: Quis nostrum valet ad cœlum ascendere ut deferat illud ad nos et audiamus atque opere compleamur? Neque trans mare positum ut causeris et dicas: Quis ex nobis poterit trajectare mare et illud ad nos usque deferre, ut possimus audire et facere quod præceptum est? Sed juxta te est sermo valde, in ore tuo et in corde tuo ut facias illum. Scio, Domine, quia Verbum es Patris omnipotens; sermo ejus præceptum quod dedit nobis Pater Tu ipse es, charitas enim es et qui manet in charitate in Deo manet et Deus in eo. Tu vir ille qui nos eripuit de potestate tenebrarum et in quo

habemus redemptionem, lucem et vitam in sanguine tuo, lux splendescit super terram.

Numquid opposuisti nubem tibi ne transeat oratio? abscondisti enim faciem tuam a nobis.

Probatorem dedit te Pater nobis in populo suo robustum et scies et probabis viam eorum.

Veruntamen exulta spiritus meus in Deo salutari tuo; Ipse enim est laus tua et Deus tuus qui fecit tibi magnalia et terribilia quæ viderunt oculi tui; scies ergo quod Dominus Deus tuus, ipse transibit ante te; ignis devorans atque consumens. Vestitus est veste aspersa sanguine et vocatur verbum Dei qui unam pro peccatis offerens hostiam, in sempiternum sedet in dextera Dei; una enim oblatione consummavit in sempiternum sanctificatos. Et sumus in illo repleti et domus hæc erit in templum ejus, omnisque qui transibit per eam stupebit et sibilabit et dicet: Quare fecit Dominus sic terræ et domui huic?

III. — Propitiatio.

In te vita est et vita est lux hominum et lux in tenebris lucet et tenebræ eam non comprehenderunt.

Pater juste, mundus te non cognovit neque clarificavit Filium tuum splendorem vultus tui; homines, si subito apparuerit aurora, arbitrantur umbra mortis et sic in tenebris quasi in luce ambulant despicientes Te qui revelas profunda de tenebris et producis in lucem umbras mortis. Ideo palpabunt quasi in tenebris non credentes quod reverti possit ad lucem. Nonne lux impii extinguetur nec splendet flamma ignis ejus? Lux obtenebrescet in tabernaculo illius, et lucerna, quæ super eum est, extinguetur. Et si quando ridebam ad eos non credebant et lux vultus mei non cadebat in terram; signatum est enim super eos lumen vultus tui.

Quotquot autem receperunt Te, Domine, dedisti eis potestatem filios tuos fieri et ipsi liberaverunt animam suam ne pergerent in interitum sed viventes lucem viderent. Ecce hæc omnia operaris Deus tribus vicibus per singulos, ut revoces animas eorum a corruptione et illumines eos.

Hoc est autem judicium: quia lux venit in mundum et dilexerunt homines magis tenebras quam lucem; erant enim eorum mala opera. Omnis enim qui male agit odit lucem et non venit ad lucem ut non arguantur opera ejus.

Heu! dies peregrinationis meæ parvi et mali; egenus et pauper sum ego, sed sufficit mihi ut divitias computem hoc quod video Deum meum. En sto coram te, lux viventium, conturbatus sum usque ad suffusionem vultus. Ad te levo oculos meos qui habitas in cœlis, qui regnas in splendoribus sanctorum: sicut enim oculi ancillæ in manibus dominæ suæ ita oculi nostri ad Dominum donec misereatur nostri.

IV. — Oratio.

Posuisti nos, Domine, in lucem gentium ut simus in salutem usque ad extremum terræ, tu qui dixisti de tenebris lucem splendescere et illuxisti in cordibus nostris ad illuminationem scientiæ claritatis tuæ, in facie Christi Jesu.

Ad hoc enim apparuisti nobis ad ostium tabernaculi tui et vocasti nos nomine nostro, ut constitueres nos ministros et testes eorum quæ videmus et eorum quibus apparebis nobis eripiens nos de populo et gentibus in quas nunc mittis nos aperire oculos eorum; ut convertantur de tenebris ad lucem et de potestate Satanæ ad Deum; ut accipiant remissionem peccatorum et sortem inter san-

ctos per fidem, quæ est in te, in hoc mysterio fidei.

Eramus aliquando tenebræ nunc autem lux in Domino; ut filii lucis ambulemus: fructus enim hujus est in omni bonitate et justitia et veritate. Illucescant ergo coruscationes tuæ orbi terræ, sit splendor tuus, Domine, super nos et opera manuum nostrarum dirige super nos, et opus manuum nostrarum dirige. Qui apparuisti Abrahæ sedenti in ostio tabernaculi sui, in ipso fervore diei, appare mihi, quæso, dum sedeo in ostio tabernaculi tui et pulso. Ignis consumens Deus noster; halitus tuus prunas ardere facit et flamma de ore tuo egreditur, de ore tuo lampades procedunt sicut tædæ ignis accensæ. Ure ergo renes meos, incende cor meum et tunc dignus ero ut non abscondas faciem tuam a me. Tunc quasi de somno gravi meo evigilans, immaculatus ero et emundabor a delicto meo et erunt ut complaceant tibi eloquia oris mei et meditatio cordis mei in conspectu tuo semper.

Sit splendor tuus super nos, sicut in die virtutis tuæ et impleas animam nostram et ambulent reges in splendore ortus tui. Sicut apparuisti de monte Pharan et tecum sanctorum millia, et in

dextera tua ignea lex; sic manifestare animæ esurienti justitiam ut accipiat e dextera tua igneam legem; scribe eam in corde meo ut perficiat gressus meos in semitis tuis, ut non moveantur vestigia mea. Fiat, o Splendor Æterni Patris, ut ante me transeas et me circumeas, et in me introeas, ignis devorans atque consumens omnia peccata mea, sed et imperfecta quæ viderunt oculi tui, ut mihi detur carpere de pomis collium æternorum; hos sitit anima mea vehementer, et beatus vir qui implevit desiderium suum ex ipsis.

TITULUS III.

JESUS: CANDOR LUCIS ÆTERNÆ

I. — Adoratio.

Candor es lucis æternæ et speculum sine macula Dei majestatis, et imago bonitatis illius; bonitatem et decorem induisti, amictus lumine sicut vestimento, magnificatus vehementer.

Tuæ divitiæ et tua est gloria, tu do-

minaris omnium; in manu tua virtus et potentia, in manu tua magnitudo et imperium. Exaltare super cœlos, Deus, et super omnem terram gloria tua. Lates hic Verbum cujus gloria quasi unigeniti a Patre plenum gratiæ et veritatis; a te ipso et per te ipsum et in te ipso sunt omnia; tibi ipsi gloria in sæcula.

Nunc igitur, Deus noster, confitemur tibi et laudamus nomen tuum inclytum; nunc demisso ad terram vultu, adoramus te, et adhæret pavimento anima nostra. Quid est omnis caro ut audiat vocem Dei viventis, qui de medio ignis loquitur?

Excelsior cœlo est et quid faciam? profundior inferno, et unde cognoscam? — Ecce ostendit nobis Dominus majestatem et magnitudinem suam, non sicut in monte Sinai cum descenderet super eum in igne et ascenderet fumus ex eo quasi de fornace, essetque omnis mons terribilis; erat enim species gloriæ Domini quasi ignis ardens per verticem ejus. Sed sicut olim descendit et nunc Dominus per nubem; operit hæc tabernaculum testimonii et gloria Domini implet illud, nec potest ingredi sancta sanctorum nisi qui oculos ad videndum habeat, nube operiente omnia et maje-

state Domini coruscante, et aures ad audiendam vocem Agni: Venite ad me omnes qui laboratis; qui sitit veniat ad me et bibat; qui sequitur me non ambulat in tenebris.

Prope es tu, Domine, et omnes viæ tuæ veritas. Sicut aquila provocans ad volandum pullos suos, et super eos volitans, expande alas tuas, et assume me. Equidem non sum dignus ut intrem in velamentum, «in sancta sanctorum».

Ascendant dilecti tui in montem tuum excelsum seorsum; et transfigureris ante eos et resplendeat facies tua sicut sol. Prodest et mihi indigno amplius hoc et perfectius tabernaculum non manufactum, id est nos hujus creationis. Numquid enim frustra hæc requies tua in sæculum sæculi? num vane hic habitas quoniam elegisti eam? Ad te conscendam non sicut aquilæ volantes sed sicut passer solitarius in tecto et sicut pullus hirundinis sic clamabo, in te meditabor ut columba.

II. — Gratiarum actio.

Scriptum est: Et creabit Dominus super omnem locum montis Sion, et ubi invocatus est, nubem per diem, et fumum

et splendorem ignis flammantis in nocte; super omnem enim gloriam protectio. Et tabernaculum erit in umbraculum dies ab æstu et in securitatem; et absconsionem a turbine et a pluvia. Memor ero bonitatis tuæ et misericordiarum tuarum, Domine, quæ a sæculo sunt; sub umbra alarum tuarum protegimur et quandiu es in mundo, lux es nobis; Tu lux in mundum venisti ut credentes in eam filii lucis simus; qui ambulabat in tenebris vidit lucem magnam.

Cum autem frangis nobis panem aperiuntur oculi nostri; scit enim Deus, inquit serpens, quod in quocumque die comederitis ex eo, aperientur oculi vestri, et eritis sicut dii, scientes bonum et malum. In hoc est verbum verum; etenim factum est dum recumberes cum discipulis qui coegerant te dicentes: Mane nobiscum; accepisti panem et benedixisti ac fregisti et porrigebas illis. Et aperti sunt oculi eorum et cognoverunt Te. Magna opera Domini, exquisita in omnes voluntates ejus, et magnitudinis ejus non est finis; inclusit enim solem in nebulam ut illuminaret abscondita tenebrarum. Comedamus et bibamus ex mensa Domini ne comprehendant nos tenebræ: non est enim alius Deus; ma-

gnificentia ejus discurrunt nubes, habitaculum ejus sursum.

Audite me, qui sequimini quod justum est, et quæritis Dominum; attendite ad petram unde excisi estis et ad cavernam laci de qua præcisi estis. Etenim ad Jesum cum venissent, ut viderunt eum jam mortuum, non fregerunt ejus crura, sed unus militum lancea latus ejus aperuit et continuo exivit sanguis et aqua.

Attendite ad me, populo meus; et tribus mea, me audite, dicit Dominus, quia lex a me exiet et judicium meum in lucem populorum requiescet. Prope est iustus meus, egressus est salvator meus, et brachia mea populos judicabunt. Audite me, qui scitis justum, populus meus, lex mea in corde eorum: nolite timere opprobrium hominum et blasphemias eorum ne metuatis. Consolabitur ergo Dominus Sion. Gaudium et lætitia invenietur in ea, gratiarum actio et vox laudis. Deo autem gratias qui dedit nobis victoriam per Dominum nostrum Jesum Christum. Potens es autem Deus, omnem gratiam abundare facere in nobis ut in omnibus semper omnem sufficientiam habentes, abundemus in omne opus bonum, in omnem simplicitatem, quæ operatur per nos gratiarum actionem Deo.

III. — Propitiatio.

Dixisti, Domine: Lucerna corporis tui est oculus tuus. Si oculus tuus fuerit simplex, totum corpus tuum lucidum erit. Si autem oculus tuus fuerit nequam; totum corpus tuum tenebrosum erit. Si ergo lumen, quod in te est, tenebræ sunt, ipsæ tenebræ quantæ erunt?

Heu Domine, ne recedas a me! Verbum caro factum es ut habitares in nobis, ut accendatur et numquam extinguatur in nocte lucerna nostra. Te enim duce, candor lucis æternæ, erunt prava in directa et aspera in vias planas et videbit omnis caro salutare Dei. Quoniam tu, Domine, illuminas lucernam meam, illuminabis tenebras meas et non patieris animam in eas redire. Non est qui invocet justitiam, neque est qui judicet vere: sed confidunt in nihilo, et loquuntur vanitates; conceperunt laborem et pepererunt iniquitatem.

Pedes ad malum currunt et festinant ut effundant sanguinem innocentem; cogitationes multorum, cogitationes inutiles: vastitas et contritio in viis eorum. Viam pacis nescierunt et non est judicium in gressibus eorum. Semitæ eorum

incurvatæ sunt eis: omnis qui calcat in eis, ignorat pacem. Propter hoc elongatum est judicium a nobis et non apprehendet nos justitia; expectavimus lucem, et ecce tenebræ; splendorem, et in tenebris ambulavimus. Palpavimus sicut cæci parietem et quasi absque oculis attrectavimus, impegimus meridie quasi in tenebris, in caliginosis quasi mortui.

Rugiemus quasi ursi omnes, et quasi columbæ meditantes gememus. Expectavimus judicium, et non est: salutem, et elongata est a nobis. Multiplicatæ sunt enim iniquitates nostræ coram te, et peccata nostra responderunt nobis. Quia scelera nostra nobiscum, et iniquitates nostras cognovimus: peccare et mentiri contra Dominum; et aversi sumus ne iremus post tergum Dei nostri... Et timebunt qui ab occidente, nomen Domini; et qui ab ortu solis, gloriam ejus; cum venerit quasi fluvius violentus, quem spiritus Domini cogit. Et venerit Sion redemptor et eis qui redeunt ab iniquitate in Jacob, dicit Dominus. Hoc fœdus meum cum eis, dicit Dominus; Spiritus meus, qui est in te, et verba mea quæ posui in ore tuo, non recedent de ore tuo, amodo et usque in sempiternum.

IV. — Impetratio.

Domine, qui vocasti nos in justitia et apprehendisti manum nostram, servasti nos et dedisti nos in fœdus populi, in lucem gentium ut aperiremus oculos cæcorum et educeremus de conclusione vinctum, de domo carceris sedentes in tenebris; ducas cæcos in viam quam nesciunt, et in semitis quas ignoraverunt ambulare eos facias; ponas tenebras coram eis in lucem et prava in recta. Surdi audiant et cæci intueantur ad videndum. Quis cæcus, ais, Domine, nisi servus meus? et surdus nisi ad quem nuntios in eos misi? quis cæcus nisi qui venumdatus est? et quis cæcus nisi servus Domini? Qui vides multa nonne custodies? qui apertas habes aures nonne audies?

Domine, voluisti ut sanctificares eos et magnificares legem et extolleres: populum istum laudem tuam enarret. Fac, Domine, ut videant oculi nostri salutare tuum; etenim tu lux in mundum venisti ut omnis qui credit in te in tenebris non maneat. Hora est, Pater, nos de somno surgere; nunc enim propior est salus, quam cum credidimus. Nox præ-

cessit, dies autem appropinquavit, abjiciamus ergo, in virtute tua, Domine, opera tenebrarum et induamur arma lucis, et sicut in die honeste ambulemus antequam venias, Deus, qui et illuminabis abscondita et manifestabis consilia cordium, et tunc laus erit unicuique a te.

Ambulemus sicut filii lucis, digne tibi per omnia placentes, in omni opere bono fructificantes, et crescentes in scientia tua, in omni virtute confortati secundum potentiam claritatis tuæ in omni patientia et longanimitate cum gaudio, gratias agentes tibi qui dignos nos fecisti in partem sortis sanctorum in lumine; qui eripuisti nos de potestate tenebrarum et transtulisti in regnum filii dilectionis tuæ, in quo habemus redemptionem per sanguinem ejus, remissionem peccatorum, qui est imago tua invisibilis, primogenitus omnis creaturæ.

Si nos omnes filii lucis sumus et filii diei, fac, Domine, ut non dormiamus sicut et cæteri, sed vigilemus, et quia diei sumus, sobrii simus, induti loricam fidei et charitatis et galeam spei salutis, quoniam non posuisti nos, Deus, in iram, sed in acquisitionem salutis per Dominum nostrum Jesum Christum, qui mortuus est pro nobis ut sive vigilemus sive dor-

miamus, simul cum illo vivamus. Hæc est enim annuntiatio: Quoniam tu, Deus, lux es et tenebræ in te non sunt ullæ; si autem in luce ambulamus sicut et ipse es in luce, societatem habeamus nos ad invicem, et Sanguis Jesu Christi emundet nos ab omni peccato. Impleatur, Domine, mandatum tuum novum: qui dicit se in luce esse et fratrem suum odit, in tenebris est usque adhuc et in tenebris ambulat et nescit quo eat. — Diligamus alterutrum sicut dedisti mandatum nobis.

TITULUS IV.

JESUS: REX GLORIÆ

I. — Adoratio.

Benedictus es, Domine Jesu, in templo sancto gloriæ tuæ, et superlaudabilis et supergloriosus in sæcula. Tua, Domine, est magnificentia et potentia atque victoria, et tibi laus. Cuncta enim quæ in cœlo et quæ in terra tua sunt; tuum, Domine, regnum et tu es super omnes principes: cœlum sedes tua, terra autem

scabellum est et nebulæ pulvis sunt pedum tuorum. Rex regum enim es et Dominus dominantium, et de throno tuo procedunt fulgura et voces et tonitrua et sunt septem lampades ardentes circa eum.

Quis est iste Rex gloriæ? Dominus fortis et potens, Dominus potens in prælio, Dominus virtutum ipse est Rex gloriæ, in cujus manu anima omnis viventis et spiritus universæ carnis; qui in sole posuit tabernaculum suum et a summo cœlo egressio ejus. In excelsis habitat et humilia respicit in cœlo et in terra, sedens super sedem sanctam suam. Thronus ejus in sæculum sæculi; virga æquitatis, virga regni sui et vocatur fidelis et verax et cum justitia judicat et regnat. Confessio et magnificentia coram eo, fortitudo et gaudium in loco ejus. Psallite igitur Deo nostro, psallite; psallite Regi nostro, psallite, quoniam Rex omnis terræ Deus; date illi magnificentiam, reges terræ et omnes populi, principes et omnes judices; juvenes et virgines, senes cum junioribus laudent nomen Domini, quia exaltatum est nomen ejus solius.

Afferte Domino, familiæ populorum, afferte Domino gloriam et imperium, date gloriam nomini ejus, levate sacrificium

et venite in conspectu ejus et adorate Dominum in decore sancto; commoveatur a facie ejus omnis terra.

Benedictus es, Domine Deus patrum nostrorum, et laudabilis et gloriosus et superexaltatus in sæcula, et benedictum nomen gloriæ tuæ sanctum; et laudabile et superexaltatum in omnibus sæculis.

Benedictus es, qui intueris abyssos et sedes super Cherubim, qui es testis fidelis, primogenitus mortuorum et princeps regum terræ, qui dilexisti nos et lavisti nos a peccatis nostris in Sanguine tuo et fecisti nos regnum et sacerdotes Deo et Patri tuo: tibi gloria et imperium. Dignus es, Agnus Dei, qui occisus es, accipere virtutem et divinitatem et sapientiam et fortitudinem et honorem et gloriam et benedictionem. Sedenti in throno, benedictio et honor et gloria et potestas in sæcula sæculorum.

II. — Gratiarum actio.

Dominus dixit ut habitaret in nebula. Audita est vox magna de throno dicens: Ecce tabernaculum Dei cum hominibus et habitavit cum eis. Et ipsi populus ejus erunt, et ipse Deus cum eis erit eorum Deus.

Gratias agimus tibi, Domine Deus omnipotens, qui es, et qui eras et qui venturus es; quia accepisti virtutem tuam magnam et regnasti. Alleluja, quoniam regnavit Dominus Deus noster omnipotens.

Lætamini cum Jerusalem et exsultate in ea, omnes qui diligitis eam: gaudete cum ea gaudio universi qui lugetis super eam ut sugatis et repleamini ab ubere consolationis ejus: ut mulgeatis et deliciis affluatis ab omnimoda gloria ejus, quia hæc dicit Dominus: Ecce ego declinabo super eam quasi fluvium pacis et quasi torrentem mundantem gloriam gentium, quam sugetis: ad ubera portabimini et super genua blandietur vobis. Quomodo si cui mater blandiatur, ita et ego consolabor vos, et in Jerusalem consolabimini. Videbitis et gaudebit cor vestrum, et ossa vestra quasi herba germinabunt, et cognoscetur manus Domini servis ejus et indignabitur inimicis suis.

Ait quoque Dominus: Ero quasi ros; Israel germinabit sicut lilium, et erumpet radix ejus ut Libani; ibunt rami ejus et erit quasi oliva gloria ejus et odor ejus ut Libani. Convertentur sedentes in umbra ejus; vivent tritico et germinabunt quasi vinea; memoriale ejus

sicut vinum Libani. Ego exaudiam et dirigam te ut abietem virentem; ex me fructus tuus inventus est. Quis sapiens, et intelliget ista? intelligens, et sciet hæc? quia rectæ viæ Domini et justi ambulabunt in eis; prævaricatores vero corruent in eis. Eum autem, qui modico quam angeli minoratus est, videmus Jesum propter passionem mortis, gloria et honore coronatum ut gratia Dei pro omnibus gustaret mortem. Decebat enim eum, propter quem omnia et per quem omnia, qui multos filios in gloriam adduxerat, auctorem salutis eorum per passionem consummare. Qui enim sanctificat et qui sanctificatur, ex uno omnes. Propter quam causam non confunditur fratres eos vocare dicens: Nuntiabo nomen tuum fratribus meis: in medio Ecclesiæ laudabo te. Et iterum: Ego ero fidens in eum. Et iterum: Ecce ego et pueri mei, quos dedit mihi Deus. Quia ergo pueri communicaverunt carni et sanguini, et ipse similiter participavit eisdem ut per mortem destrueret eum qui habebat mortis imperium, id est, diabolum, et liberaret eos, qui timore mortis per totam vitam obnoxii erant servituti. Nusquam enim angelos apprehendit, sed semen Abrahæ apprehendit. Unde debuit per

omnia fratribus similari, ut misericors fieret et fidelis pontifex ad Deum, ut repropitiaret delicta populi. In eo enim in quo passus est ipse et tentatus, potens est et eis, qui tentantur auxiliari. Christus vero tanquam filius in domo sua: quæ domus sumus nos si fiduciam et gloriam spei usque ad finem, firmam retineamus.

III. — Propitiatio.

Interea Deus cæli et terræ deseritur, negligitur et dolet Rex super filiis suis. Exaltaris profecto super cœlos Deus, sed non super omnem terram gloria tua; operit quidem cœlos gloria tua sed laude tua plena non est terra. Et constituis tamen gentibus tu Rex annonam per singulos dies de cibis tuis et de vino unde bibis ipse. Attamen universa vanitas omnis homo vivens; furor illis secundum similitudinem serpentis, sicut aspidis surdæ et obturantis aures suas quæ non exaudiet vocem incantantis. Nescierunt neque intellexerunt, in tenebris ambulant. Tu autem, Domine, permanes et verbum tuum in generationem et generationem, quo aiebas: Ecce ego vobiscum sum usque ad consummationem sæculi.

Jesu, Rex gloriæ, miserere nobis, quia tu sedes in sempiternum, et nos peribimus in ævum; memorare quæ nostra substantia, quæ nostra miseria, quæ infirmitas, et quanta agglutinata sint nobis mala. Unde ista?

Hæc dicit Dominus exercituum: Vade, ingredere ad eum qui habitat in tabernaculo, ad præpositum templi, et dices ad eum: Quid tu hic aut quasi quis hic? quia excidisti tibi hic sepulchrum, excidisti in excelso memoriale diligenter in petra tabernaculum tibi. Ecce Dominus asportari te faciet, sicut asportatur gallus gallinaceus, et quasi amictum sic sublevabit te. Coronans, coronabit te tribulatione, quasi pilam mittet te in terram latam et spatiosam! ibi morieris et ibi erit currus gloriæ tuæ ignominia domus Domini tui. Et expellam te de statione tua et de ministerio tuo deponam te. Et erit in die illa: Vocabo servum meum et induam illum tunica tua, et cingulo tuo confortabo eum, et potestatem tuam dabo in manu ejus, et erit quasi pater habitantibus Jerusalem et domui Juda. Et dabo clavem domus David super humerum ejus: et aperiet et non erit qui claudat; et claudet et non erit qui aperiat.

Scio quia prævaricans prævaricaberis et transgressorem ex utero vocavi te. Propter nomen meum longe faciam furorem meum et laude mea infrænabo te, ne intereas. Ecce excoxi te, sed non quasi argentum, elegi te in camino paupertatis. Propter me, propter me faciam ut non blasphemer; et gloriam meam alteri non dabo. Et dixi: Verumtamen populus meus est, filii non negantes: et factus sum eis salvator. Ipsi autem ad iracundiam provocaverunt et afflixerunt spiritum sancti mei: et conversus sum eis in inimicum et ipse debellavi eos. Attende de cœlo, Domine, et vide de habitaculo sancto tuo et gloriæ tuæ: ubi est zelus tuus et fortitudo tua, multitudo viscerum tuorum et miserationum tuarum? super me continuerunt se.

IV. — Impetratio.

Et nunc sequimur te in toto corde, et timemus te, et quærimus faciem tuam. Ne confundas nos: sed fac nobiscum juxta mansuetudinem tuam, et secundum multitudinem misericordiæ tuæ. Et erue nos in mirabilibus tuis, et da gloriam nomini tuo, Domine, et confundantur omnes qui ostendunt servis tuis mala, con-

fundantur in omni potentia tua, et robur eorum conteratur; et sciant quia tu es Dominus Deus solus et gloriosus super orbem terrarum. Hæc dicit Dominus exercituum: Post gloriam misit me ad gentes quæ spoliaverunt vos; qui enim tetigerit vos, tangit pupillam oculi mei; quia ecce ego levo manum meam super eos et erunt prædæ his qui serviebant sibi, et cognoscetis quia Dominus exercituum misit me.

Lauda et lætare, filia Sion, quia ecce venio et habitabo in medio tui, ait Dominus. Et applicabuntur gentes multæ ad Dominum in die illa et erunt mihi in populum et habitabo in medio tui. Sileat omnis caro a facie Domini quia consurrexit de habitaculo sancto suo.

Pater Domini nostri Jesu Christi, qui benedixisti nos in omni benedictione spirituali in cœlestibus in Christo, sicut elegisti nos in ipso ante mundi constitutionem, simus sancti et immaculati in conspectu tuo in charitate; qui prædestinasti nos in adoptionem filiorum per Jesum Christum in ipsum, secundum propositum voluntatis tuæ, in laudem gloriæ gratiæ suæ, in qua gratificasti nos in dilecto filio tuo: notum fac nobis sacramentum voluntatis tuæ, secundum bene-

placitum tuum quod proposuisti in eo, in dispensatione plenitudinis temporum, instaurare omnia in Christo, quæ in cœlis et quæ in terra sunt, in ipso. In quo etiam et nos sorte vocati sumus, prædestinati secundum propositum tuum, qui operaris omnia secundum consilium voluntatis tuæ; simus in laudem gloriæ tuæ nos, qui speravimus in Christo, in quo et credentes signati sumus Spiritu promissionis sancto, qui est pignus hæreditatis nostræ in redemptionem acquisitionis, in laudem gloriæ tuæ.

Fac, Domine, ut unusquisque, sicut accepit gratiam, in alterutrum illam administremus, sicut boni dispensatores multiformis gratiæ tuæ.

Si quis loquitur, quasi sermones tuos; si quis administrat tamquam ex virtute quam administras tu, Deus, ut in omnibus honorificeris per Jesum Christum cui est gloria et imperium in sæcula sæculorum. Amen.

ST. ALBERT'S COLLEGE LIBRARY

TITULUS V.

JESUS: SOL JUSTITIÆ

I. — Adoratio.

Dominus regnavit, exultet terra! Nubes et caligo in circuitu ejus, sed ignis ante ipsum præcedet et inflammabit in circuitu inimicos ejus. Egressus ejus ab initio, a diebus æternitatis; ipse enim est imago Dei invisibilis, primogenitus omnis creaturæ. In conspectu suo montes a fundamentis movebuntur cum aquis; petræ sicut cera liquescent ante faciem suam: ipse est qui est et hoc nomen ei est in æternum et hoc memoriale suum in generationem et generationem. Cœlum ipsi sedes est; terra autem scabellum pedum suorum et elevata est magnificentia sua super cœlos. Lucidum divinæ majestatis est speculum et imago bonitatis illius, et ecce quasi unus ex nobis factus est. Ipse solus fecit cœlum et cœlum cœlorum, et omnem exercitum eorum, terram et universa quæ in ea sunt, et vivificat omnia et exercitus cœli eum adorant.

Accedamus ad radicem montis qui ardet usque ad cœlum; suntque in eo tenebræ et nubes et caligo. Inclinavit cœlos et descendit et caligo sub pedibus ejus. Et domus hæc erit in templum ejus: omnis qui transibit per eam stupebit et sibilabit et dicet: Quare fecit Dominus sic terræ et domui huic?

Venite, et adorate et procidite coram illo, nec curiosius mysterium Regis scrutemini. Posuit enim tenebras latibulum suum; et sicut qui mel multum comedit non est ei bonum; sic qui scrutator est majestatis, opprimetur a gloria.

II. — Gratiarum actio.

Ipse claritatem ab hominibus non accipit sed a Deo, sed a supernis sedibus, cum ipse sit splendor æterni Patris. Inextinguibile lumen habet, et libenter communicat: qui revelat profunda de tenebris, et producit in lucem umbram mortis. Dilexit justitiam et odit iniquitatem, propterea unxit eum Pater Deus oleo lætitiæ præ participibus suis ut lucerna sit pedibus nostris verbum suum et lumen semitis nostris. Quæsivit Deus ignem et non invenit ignem sed aquam crassam; jussit sacerdos aspergi ipsa

aqua et ligna et quæ erant superposita; utque hoc factum est, et tempus affuit quo sol refulsit, qui prius erat in nubilo, accensus est ignis magnus, ita ut omnes mirarentur. Sæpe sæpius Sol ille me percussit; imo titione ardenti tactus sum et sæpe concaluit intra me cor meum et in meditatione mea exarsit ignis eo quod non est qui se abscondat a calore ejus. Tunc levans oculos meos neminem videbam nisi solum Jesum, cum tenebræ circumdarer; etenim qui sequitur eum non ambulat in tenebris sed habet lumen vitæ. In domo Patris mei lucerna ejus est Agnus, Dominus ipse illuminator est. Sit nomen ejus benedictum in sæcula: ante solem permanet nomen ejus. Benedicite sol et luna Domino, benedicite gelu et frigus Domino, benedicite noctes et tenebræ Domino; erit lumen Israel in igne et Sanctus ejus in flamma, et succendetur et devorabitur spina ejus et vepres in die una.

III. — Propitiatio.

Nemini nisi nolenti denegatur lumen supernum, lux vera quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum. Sed sunt tenebræ super terram, tam

densæ ut palpari queant; angeli lucis percusserunt cæcitate gentem multam a minimo usque ad maximum ita ut ostium invenire non possent. Et ait Dominus: Abscondam faciem meam ab eis; generatio enim perversa est, infideles filii; ipsi me irritaverunt in vanitatibus suis.

Venite et ipse illuminabit abscondita cordis et quasi meridianus fulgor consurget vobis ad vesperam, venite ad eum qui ponit nubem ascensum suum, qui facit ministros suos ignem urentem. Nix autem et glacies sustinent vim ignis et non tabescent, montes autem fluunt a facie Domini et cum illuxerunt fulgura ejus orbi terræ, vidit et commota est terra. Ego vero præveniam solem ad benedictionem divinam; consurget anima mea diluculo, orieturque mihi statim sol qui cognovit occasum. Abscondit enim Deus faciem suam a me et collocavit me in obscuris sicut mortuos sæculi. Et dolebam, et dicebam: Væ nobis quia declinavit dies, quia longiores factæ sunt umbræ vesperi. Ambulemus nunc dum lucem habemus ne tenebræ nos comprehendant. Oculi mei tenebantur ne agnoscerem eum; et dixi: non movebor in æternum; avertit autem faciem suam a me et factus sum conturbatus. Domine, quando respi-

cies? Emitte lucem tuam et veritatem tuam; ipsa me deduxerunt, et adduxerunt in montem sanctum tuum; Domine, miserere nostri.

IV. — Oratio.

Exsurge, quare obdormis, Domine? exsurge, et ne repellas in finem; quare faciem tuam avertis, oblivisceris inopiæ et tribulationis nostræ? Illumina oculos eorum ne unquam obdormiant in morte. Nosse enim te consummata justitia est, et scire justitiam et virtutem tuam radix est immortalitatis; tunc inclinabitur homo ad factorem suum et oculi ejus ad Sanctum Israel respicient. Tu, Domine, formans lucem et creans tenebras, faciens pacem et creans lucem; tu, Domine, faciens omnia hæc. Surdi audiant et cæci intueantur ad videndum. Illumina oculos meos, ure renes meos et cor meum; contexerunt me tenebræ et non potui ut viderem; sed ante faciem frigoris quis sustinebit? Attamen ne projicias me a facie tua et splendorem sanctum tuum ne auferas a me ut sint oculi mei videntes præceptorem meum omnibus diebus vitæ meæ et faciam secundum exemplar quod in monte mihi monstratum

est. Sæpius a te vultum averti, et nolui intelligere ut bene agerem; unde si iniquitates observaveris, non sustinebo. Tibi, Domine, justitia; nobis autem confusio faciei. Proba me, Deus, et scito cor meum, interroga me et cognosce semitas meas et vide si via iniquitatis in me est; et deduc me in via æterna. Longe a te, dies mei sicut umbra declinaverunt, et ego sicut fœnum arui. Cor contritum et humiliatum, Deus, non despicies; sed et a scintilla una augetur ignis. Mane nobiscum, Domine, et signetur super nos lumen vultus tui ut in ipso lumine ambulemus coram te omnibus diebus vitæ nostræ.

TITULUS VI.

JESUS: FILIUS MARIÆ VIRGINIS

I. — Adoratio.

Florete, flores, quasi lilium, et date odorem, et frondete in gratiam, et collaudate canticum, et benedicite Dominum in operibus suis. Etenim signum magnum

apparuit in cœlo: mulier amicta sole et luna sub pedibus ejus et in capite ejus corona stellarum duodecim. Fundamenta ejus in montibus sanctis, diligit Dominus portas Sion super omnia tabernacula Jacob; ipse fundavit eam Altissimus.

Ubi autem venit plenitudo temporis misit Deus Filium suum, factum ex ea, factum sub lege, ut eos, qui sub lege erant, redimeret, ut adoptionem filiorum reciperemus. Quoniam autem sumus filii, misit Deus Spiritum Filii sui in corda nostra clamantem: Abba Pater: Mittens Filium suum in similitudinem carnis peccati, et de peccato damnavit peccatum in carne. Super hoc expavit cor meum et emotum est de loco suo.

Cui enim dixit Deus aliquando angelorum: Filius meus es tu, ego hodie genui te? et rursum: Ego ero illi in patrem, et ipse erit mihi in filium?

Et cum iterum introducit primogenitum (peperit enim Maria Filium suum primogenitum), in orbem terræ, dicit: Et adorent eum omnes angeli Dei. Ad Filium autem: Thronus tuus, Deus, in sæculum sæculi; virga æquitatis, virga regni tui.

Ad quem angelorum dixit aliquando: Sede a dextris meis quoadusque ponam inimicos tuos scabellum pedum tuorum?

Lætentur cœli, et exultet terra a facie Domini quoniam venit. Dixit enim ut habitaret in nebula, et ecce nubecula parva quasi vestigium hominis ascendit de mari; ecce cœli contenebrati sunt et nubes et ventus, et facta est pluvia grandis. Dictum est enim: Rorate cœli desuper et nubes pluant justum; haurietis aquas in gaudio de fontibus Salvatoris; descendit sicut pluvia in vellus; vellus autem ancilla est Domini quæ ait: Fiat mihi secundum verbum tuum: mulier amicta sole, velut nubecula effundens aquas magnas super terram de quibus Salvator ait: Aqua quam ego dabo fiet fons aquæ salientis in vitam æternam.

Gloriosa dicta sunt de te, civitas Dei; sed cur quæram nomen tuum quod est mirabile? utique dices: Hic est Filius meus dilectus in quo mihi bene complacui: ipsum audite; nec rapinam arbitrata es te esse matrem Dei. Nunc state, gentes, et videte rem istam grandem, quam fecit Dominus.

II. — Gratiarum actio.

Mulier amicta sole et in utero habens, clamabat parturiens et cruciabatur ut pareret. Dictum enim erat: In dolore

paries; attamen non in peccatis concepisti Filium tuum, Virgo Maria; non enim pro te sed pro omnibus hæc lex constituta est; accedis igitur et tangis sceptrum ejus qui dicit: Ego sum frater tuus, noli timere. Unde non in dolore paris Filium tuum Primogenitum, sed nos membra de membro, fratres filii tui. Etenim dicis quidem: Filioli mei, quos iterum parturio, donec formetur Christus in vobis; ideo clamas parturiens nos; stas enim juxta crucem Domini qui pariter ait: Nunquid ego qui alios parere facio, ipse non pariam? si ego qui generationem cæteris tribuo, sterilis ero? Cum ipse multos filios cibas pane supersubstantiali, de adipe frumenti et vino germinanti virgines, et dices nobis: Venite filii audite me; bibite vinum meum cum lacte meo; emite absque ulla commutatione vinum et lac. Facti enim estis quibus lacte opus sit; et lac vobis dedi non escam.

Sic Virgo Maria dilexit mundum ut Filium suum unigenitum daret; sic autem Salvator dilexit nos ut Matrem suam nobis daret; ait enim discipulo quem diligebat: Ecce Mater tua. Unde dicere potest Filius suus: Fratres mei vos, os meum et caro mea vos. Quid turbati estis, et cogitationes ascendunt in corda

vestra? videte manus meas et pedes quia ego ipse sum.

Vere et ego habitaculum Dei factus sum; ad me pauperculum Filius Altissimi divertit, hicce domum meam ingreditur, intrat ostium tabernaculi mei. Verbum Caro factum habitat in nobis, plenum gratiæ et veritatis. Quis audivit unquam tale? et quis vidit huic simile? Calix benedictionis, cui benedicimus nonne communicatio Sanguinis Christi est? Et panis quem frangimus nonne participatio Corporis Domini est? Sonet igitur vox tua in auribus meis: Nisi manducaveritis carnem meam, quam dedi Filio meo, et biberitis meum sanguinem, non habebitis vitam in vobis. Caro mea vere est cibus et sanguis meus vere est potus. Venite, bibite et inebriamini, charissimi. Ego mater pulchræ dilectionis et timoris et agnitionis et sanctæ spei; in me gratia omnis viæ et veritatis, in me omnis spes vitæ et virtutis. — Transite ad me omnes qui concupiscitis me et a generationibus meis implemini: spiritus enim meus super mel dulcis, et hæreditas mea super mel et favum.

Sub umbra tua, Virgo Maria, quam desideraveram sedi, et fructus tuus dulcis gutturi meo. Magnificat anima mea Do-

minum quia fecit tibi magna, et fecit potentiam in brachio suo et beatam te dicent omnes generationes. Tu, benedicta in mulieribus, e casto tuo sinu emittes Agnum Dominatorem et Redemptorem terræ. Ex te habemus et mensam extra velum. Misericordia et veritas obviaverunt sibi, justitia et pax osculatæ sunt; per te efficimur divinæ consortes naturæ, o Maria.

III. — Propitiatio.

Ingrediens mundum Jesus dicit: Hostiam et oblationem noluisti; Corpus autem aptasti mihi: holocautomata pro peccato non tibi placuerunt. Tunc dixi: Ecce venio: in capite libri scriptum est de me, ut faciam, Deus, voluntatem tuam. In qua voluntate sanctificati sumus per oblationem corporis Jesu Christi semel.

Accedamus cum vero corde, in plenitudine fidei, aspersi corda a conscientia mala et abluti corpus aqua munda; teneamus spei nostræ confessionem indeclinabilem (fidelis est enim qui repromisit), et consideremus judicem in provocationem charitatis, et operum bonorum. Deponentes omne pondus et circumstans peccatum, per patientiam curramus ad

propositum nobis certamen; aspicientes in auctorem fidei et consummatorem Jesum qui proposito sibi gaudio sustinuit crucem, confusione contempta atque in dextera sedis Dei sedet. Recogitate enim eum qui talem sustinuit a peccatoribus adversum semetipsum contradictionem, ut ne fatigemini, animis vestris deficientes. — Quem enim diligit Dominus castigat; flagellat autem omnem filium quem recipit. In disciplina perseverate. Tanquam filiis vobis offert se Deus: quis enim filius, quem non corripit pater? Proprio filio suo non pepercit Deus nec Maria, sed pro nobis omnibus tradiderunt Agnum sine macula.

Virgo non novit nisi Jesum et hunc crucifixum et quos Pater præscivit et prædestinavit conformes fieri imaginis Filii sui, ut sit ipse primogenitus in multis fratribus, ad quos: Ecce mater tua: et de quibus: Ecce filius tuus.

Scientes autem, quod non justificatur homo ex operibus legis, nisi per fidem Jesu Christi: et nos in Christo Jesu credimus. — Quod si quærentes justificari in Christo, inventi sumus et ipsi peccatores, numquid Christus minister peccati est? Absit. Si enim quæ destruxi, iterum hæc ædifico, prævaricatorem me consti-

tuo. Ego enim per legem, legi mortuus sum, ut Deo vivam: Christo crucifixus sum cruci. Nos autem, fratres, promissionis filii sumus: sed quomodo tunc is, qui secundum carnem natus fuerat, persequebatur eum, qui secundum spiritum: ita et nunc. Nos omnes aliquando conversati sumus in desideriis carnis nostræ, facientes voluntatem carnis et cogitationum et eramus natura filii iræ, sicut et cæteri. — Deus autem, qui dives est in misericordia, propter nimiam charitatem suam, qua dilexit nos, conresuscitavit et consedere fecit in cœlestibus in Christo Jesu.

O insensati, quis nos fascinavit non obedire veritati, ante quorum oculos Jesus Christus præscriptus est, in nobis crucifixus? Quare rursum crucifigentes sumus Filium Dei in nobismetipsis?

IV. — Impetratio.

Servus tuus sum ego, Domine, et filius Ancillæ tuæ, homo exigui temporis et minor ad intellectum judicii et legum tuarum. Si meipsum tradam tibi servum et Mariæ, non ero condignus providentiæ tuæ. Qui mihi similari dignatus es, non despicies in die fratris tui, in die

peregrinationis ejus, neque despicies et tu in malis ejus, in die vastitatis illius. Tibi dixit cor meum: Exquisivit te facies mea: faciem tuam, Domine, requiram. Quis mihi det te fratrem meum, sugentem ubera matris meæ, ut inveniam te foris et deosculer te, et jam nemo me despiciat! Fac, ut apprehendam te et ducam in domum matris meæ: ibi me docebis et dabo tibi poculum ex vino condito et mustum malorum granatorum meorum. Quæ est ista mater mea? ascendit de deserto, deliciis affluens, innixa super te dilectum suum. Ecce jam astat tibi regina a dextris tuis in vestitu deaurato circumdata varietate.

Memorare, mater Jesu, quæ nos in dolore, eum autem in gaudio peperisti; quomodo in die carnis suæ preces supplicationesque cum clamore valido et lacrymis offerens, exauditus est pro sua reverentia. Pro nobis ille rogavit non pro se et commisit tibi pro nobis thesauros: audi clamorem populi hujus et aperi eis thesaurum tuum aquæ vivæ, ut satiati cesset murmuratio eorum.

Immolasti enim victimam tuam, miscuisti vinum et proposuisti mensam; misisti ancillas tuas ut vocarent ad arcem et ad mœnia civitatis: Si quis est par-

vulus, veniat ad me. Et insipientibus locuta est: Venite, comedite panem meum et bibite vinum quod miscui vobis. Relinquite infantiam, et vivite et ambulate per vias prudentiæ. Quis est parvulus declinet ad me.

Fac, pia Mater, ne aperiat Dominus thesauros iræ et proferat vasa iræ suæ, quoniam opus est Domino Deo in terra nostra. In propria venit Filius tuus et sui eum non receperunt. Descendas Tu in domum meam et affer illum tecum: quotquot enim receperunt eum dedit eis potestatem filios Dei fieri, his qui non ex sanguinibus, neque ex voluntate carnis neque ex voluntate viri sed ex Deo nati sunt; ad quos ais: Filioli mei, quos iterum parturio. Facta es quasi navis institoris de longe portans panem tuum, qui salvum faciat filium ancillæ suæ, quæ posuit mihi mensam adversus eos qui tribulant me. Benedicta es, Virgo Maria, et benedictus fructus ventris tui; fac ut benedicti simus per te benedictionibus cœli desuper et convertat Deus maledictionem in benedictionem. Calix enim benedictionis cui benedicimus communicatio est Sanguinis quem dedisti Filio tuo, et panis quem frangimus participatio Corporis ejus.

Fac ut unum simus omnes in eo, quoniam unus panis, unum corpus multi sumus, omnes, qui de uno pane participamus.

TITULUS VII.

JESUS: ADMIRABILIS

I. — Adoratio.

Vocatur nomen tuum, Domine, Admirabile. Extendis enim cœlum sicut pellem, ponis nubem ascensum tuum et ambulas super pennas ventorum; facis angelos tuos spiritus et ministros tuos ignem urentem.

Quis Deus magnus sicut Deus noster qui facit mirabilia magna solus? Altitudinis firmamentum pulchritudo ejus est, species cœli in visione gloriæ. Sol in aspectu annuntians in exitu, vas admirabile opus Excelsi. — Giravit cœlum in circuitu gloriæ suæ manus Excelsi aperuerunt illum: multa dicemus et deficiemus in verbis; consumatio autem sermonum, ipse est in omnibus. — Gloriantes

ST. ALBERT'S COLLEGE LIBRARY

ad quid valemus? ipse enim Omnipotens super omnia opera sua. Terribilis Dominus et magnus vehementer, et mirabilis potentia ipsius. Glorificantes Dominum quantumcumque potueritis supervalebit enim adhuc, et admirabilis magnificentia ejus. Benedicentes Dominum exaltate illum quantum potestis; major enim est omni laude. Exaltantes eum replemini virtute, ne laboretis; non enim comprehendetis.

Quis videbit eum et enarrabit? et quis magnificabit eum sicut est ab initio? Multa abscondita sunt majora his: pauca enim vidimus opera ejus. Omnia autem Dominus fecit et pie agentibus dedit sapientiam.

Magnus Dominus et laudabilis nimis in civitate Dei nostri, in monte sancto ejus. — Quam magnificata sunt opera tua, Domine! omnia in sapientia fecisti, impleta est terra possessione tua! — O Israel, quam magna est domus Dei et ingens locus possessionis ejus!

A, a, a, Domine Deus, ecce nescio loqui quia puer ego sum.

Ecce reges terræ congregati sunt, convenerunt in unum; ipsi videntes sic admirati sunt, conturbati sunt, commoti sunt.

Confiteor tibi, Pater, quia abscondisti hæc a sapientibus et prudentibus et revelasti ea parvulis. Confitebor tibi, Domine, in toto corde meo; in consilio justorum et congregatione. — Magna opera tua; exquisita in omnes voluntates tuas; confessio et magnificentia opus tuum: et justitia tua manet in sæculum sæculi. Memoriam fecisti mirabilium tuorum misericors et miserator Dominus; escam dedisti timentibus te.

Memor eris in sæculum testamenti tui: virtutem operum tuorum annuntiabis populo tuo. Quotiescumque enim manducabimus panem tuum et calicem bibemus, mortem tuam annuntiabimus donec venias. In vita tua fecisti monstra, et in morte mirabilia operatus es.

Quis sufficit enarrare opera illius? quis enim investigabit magnalia ejus? Virtutem autem magnitudinis ejus quis enuntiabit? aut quis adjiciet enarrare misericordias ejus? Non est minuere neque adjicere, nec est invenire magnalia Dei.

Benedictus Dominus Deus qui facit mirabilia solus et benedictum nomen majestatis ejus in æternum, et repleatur majestate ejus omnis terra: fiat, fiat.

II. — Gratiarum actio.

Memor fui operum Domini; quia memor ero ab initio mirabilium tuorum et meditabor in omnibus operibus tuis, et in adinventionibus tuis exercebor. — Deus in sancto via tua; quis Deus magnus sicut Deus noster? Tu es Deus qui facis mirabilia: notam fecisti in populis virtutem tuam: redemisti in brachio tuo populum tuum. Parasti in conspectu meo mensam adversus eos qui tribulant me. Domine, propter famulum tuum juxta cor tuum, fecisti omnem magnificentiam hanc, et nota esse voluisti universa magnalia. Domine, non est similis tui et non est alius Deus absque te. Quis enim est alius ut populus tuus, gens una in terra ad quam perrexisti ut liberares et faceres populum tibi, et magnitudine tua atque terroribus ejiceres nationes a facie ejus? et posuisti populum tuum tibi in populum usque in æternum et tu, Domine, factus es Deus ejus. Beatum dixerunt populum cui hæc sunt: beatus populus, cujus Dominus Deus ejus.

Generatio et generatio laudabit opera tua, et potentiam tuam pronuntiabunt. Magnificentiam gloriæ sanctitatis tuæ lo-

quentur et mirabilia tua narrabunt; et virtutem terribilium tuorum dicent et magnitudinem tuam narrabunt. Memoriam abundantiæ suavitatis tuæ eructabunt et justitia tua exultabunt.

Angelorum esca nutrivisti populum tuum et paratum panem de cœlo, præstitisti illis sine labore, omne delectamentum in se habentem et omnis saporis suavitatem. Substantia enim tua, dulcedinem tuam quam in filios habes, ostendebat; et deserviens uniuscujusque voluntati, ad quod quisque volebat, convertebatur, ut scirent filii tui, quos dilexisti, Domine, quoniam, non nativitatis fructus pascunt homines, sed sermo tuus hos qui in te crediderunt, conservat. Pater enim diligit te, et omnia demonstrat tibi quæ ipse facit: et majora his demonstravit tibi ut nos miraremur.

Suavis Dominus universis et miserationes ejus super omnia opera ejus. Confiteantur tibi, Domine, omnia opera tua et sancti tui benedicant tibi: gloriam regni tui dicent et potentiam tuam loquentur ut notam faciant filiis hominum potentiam tuam et gloriam magnificentiæ regni tui. Quam pulchra tabernacula tua, Jacob, et tentoria tua, Israel! Propterea in Jacob inhabitare et

in Israel hæreditare et in electis suis mittere radices fecit Deus reginam quæ sedit a dextris suis in vestitu deaurato circumdata varietate. Mirabilis enim Deus in sanctis suis sed mirabilius in altis Dominus, ponens in sole tabernaculum suum ex quo processit ut gigas ad currendam viam, ut de torrente in via biberet et propterea exaltaret caput in die virtutis suæ et mirabilium suorum, recipiens nomen quod est supra omne nomen et in gloriam multos filios adducens.

III. — Propitiatio.

Hæc dicit Dominus: Recordatus sum tui; miserans adolescentiam tuam, et charitatem desponsationis tuæ, quando secutus es me in deserto, in terra quæ non seminatur. Qui habet sponsam sponsus est; et sponsavi te mihi in fide, in justitia et judicio et in misericordia et in miserationibus.

Sed eo quod appropinquat populus iste ore suo, et labiis suis glorificat me, cor autem ejus longe est a me, et timuerunt me mandato hominum et doctrinis, ideo ecce addam ut admirationem faciam populo huic, miraculo grandi et stupendo:

peribit enim sapientia a sapientibus ejus et intellectus prudentium ejus abscondetur. — Væ qui profundi estis corde, ut a Domino abscondatis consilium: quorum sunt in tenebris opera, et dicunt: Quis videt nos et quis novit nos?... Obstupescite et admiramini, fluctuate et vacillate, inebriamini et non a vino, movemini et non ab ebrietate.

Vere non est, Domine, qui invocet nomen tuum, qui consurgat et teneat te: abscondisti faciem tuam a nobis, et allisisti nos in manu iniquitatis nostræ. Et nunc, Domine, Pater noster es tu, nos vero lutum: et fictor noster tu, et opera manuum tuarum omnes nos. — Ne irascaris, Domine, satis.

Quid invenisti in me iniquitatis, dicit Dominus, quia elongasti a me et ambulasti post vanitatem et vanus factus es? Sacerdotes non dixistis: Ubi est Dominus? et tenentes legem nescistis me, et pastores prævaricati estis in me: propterea adhuc judicio contendam vobiscum. — Populus meus mutavit gloriam suam in idolum. Obstupescite, cœli, super hoc, et portæ ejus desolamini vehementer.

Duo enim mala fecit populus meus: Me dereliquerunt fontem aquæ vivæ et

foderunt sibi cisternas, cisternas dissipatas, quæ continere non valent aquas. — Dereliquerunt me clamantem: Si quis sitit veniat ad me et bibat. — Venite ad me omnes qui laboratis et onerati estis et ego reficiam vos. Et qui credit in me, non sitiet unquam.

Et vos qui dereliquistis Dominum, qui obliti estis montem sanctum meum, qui ponitis Fortunæ mensam et libatis super eam: numerabo vos in gladio et omnes in cæde corruetis: pro eo quod vocavi et non respondistis, locutus sum et non audistis, et faciebatis malum in oculis meis, et quæ nolui, elegistis. Propter hoc, dicit Dominus Deus: Ecce servi mei comedent et vos esurietis: ecce servi mei bibent et vos sitietis: ecce servi mei lætabuntur, et vos confundemini: ecce servi mei laudabunt præ exultatione cordis, et vos clamabitis præ dolore cordis, et præ contritione spiritus ululatis. Et dimittetis nomen vestrum in juramentum electis meis.

Canite tuba in Sion, sanctificate jejunium, vocate cœtum, congregate populum, sanctificate ecclesiam, coadunate senes, congregate parvulos et sugentes ubera: egrediatur sponsus de cubili suo et sponsa de thalamo suo.

Inter vestibulum et altare plorent sacerdotes ministri Domini et dicant: Parce, Domine, parce populo tuo et ne des hæreditatem tuam in opprobrium.

Zelatus es, Domine, terram tuam, et pepercisti populo tuo. — Diligis enim omnia quæ sunt et nihil odisti eorum quæ fecisti.

IV. — Impetratio.

Mirifica misericordias tuas qui salvos facis sperantes in te. Qui petit a te accipiat: qui quærit te inveniat: pulsanti aperiatur templum tabernaculi testimonii tui.

Domine, Deus meus es tu, exaltabo te et confitebor nomini tuo: quoniam fecisti mirabilia, cogitationes antiquas fideles. — Quia factus es fortitudo pauperi, fortitudo egeno, in tribulatione sua spes a turbine, umbraculum ab æstu. Et facies, Domine exercituum, omnibus populis in monte hoc convivium pinguium, convivium vindemiæ, pinguium medullatorum, vindemiæ defecatæ. Ecce Deus noster tu, expectavimus te et salvasti nos: ipse Dominus; sustinuimus te, exultabimus et lætabimur in salutari tuo; quia requiescet manus tua in monte isto,

Urbs fortitudinis nostræ Sion; Salvator ponetur in ea murus et antemurale. Aperite portas et ingrediatur gens justa, custodiens veritatem. Vetus error abiit; servavit pacem; pacem quia in te speravimus. Anima mea desideravit te in nocte; sed et spiritu meo in præcordiis meis de mane vigilabo ad te. Domine, dabis pacem nobis: omnia enim opera nostra operatus es nobis.

Mirabilia testimonia tua: ideo scrutata est ea anima mea. Declaratio sermonum tuorum illuminat et intellectum dat parvulis: os meum aperui et attraxi spiritum, quia mandata tua desiderabam. Aspice in me, et miserere mei, secundum judicium diligentium nomen tuum: gressus meos dirige secundum eloquium tuum et non dominetur mei omnis injustitia. Redime me a calumniis hominum ut custodiam mandata tua: faciem tuam illumina super servum tuum et doce me justificationes tuas. Vide quoniam mandata tua dilexi, Domine, in misericordia tua vivifica me. Da mihi intellectum et scrutabor legem tuam, et custodiam illam in toto corde meo.

Adhuc multa habes nobis dicere, sed non possumus portare modo. Revela oculos nostros, Domine, et illumina cor

nostrum. Veniat ille spiritus veritatis qui doceat nos omnem veritatem. Pater, venit hora; clarifica Filium tuum, ut Filius tuus clarificet te: sicut dedisti ei potestatem omnis carnis, ut omne quod dedisti ei det eis vitam æternam. Sanctifica nos in veritate. Sermo tuus veritas est. Sicut misisti eum in mundo et ille misit nos in mundum. Et pro nobis ille sanctificavit se, ut essemus et ipsi sanctificati in veritate. Et claritatem quam dedisti ei, dedit nobis ut simus unum, sicut tu Pater et ille unum estis.

TITULUS VIII.

JESUS: DEUS FORTIS

I. — Adoratio.

Vocabitur nomen ejus Deus, Fortis. Fortitudo Domini est: non est fortis sicut Deus noster. Adonaï Domine, magnus es tu et præclarus in virtute tua, et quem superare nemo potest; tibi serviat omnis creatura tua, quia dixisti et facta sunt: misisti spiritum tuum et creata sunt, et non est qui resistat voci tuæ. In manu tua est fortitudo et poten-

tia, nec quisquam potest tibi resistere. Exinanivit hic in terris semetipsum cum hominibus conversatus, at movet omnia fundamenta terræ, regna tollit vel restituit, deponit potentes de sede et exaltat humiles; esurientes implet bonis et divites dimittit inanes.

Adoro te, Deus fortis, ego infirmus et imbecillis; adoro te formam servi accipientem et in potestatem hominum sponte redactum. Inclinent se cæteri coram dominatoribus terræ qui in curribus et in equis fiduciam suam ponunt; ego te solum agnosco Regem, Altissimum, Fortem. Exaltare, Domine, in virtute tua; cantabimus et psallemus virtutes tuas; non est auxilium nisi a te: quis similis tui in fortibus, Domine? quis similis tui, magnificus in sanctitate, terribilis atque laudabilis, faciens mirabilia? Ad te ergo levavi oculos meos qui habitas in tabernaculo. Nisi quia eras in nobis, cum irasceretur furor inimicorum nostrorum in nos, forte vivos deglutissent nos. De forti enim egressa est dulcedo, panis omnem suavitatem in se continens et dulcedo super mel et favum; quid dulcius melle et quid fortius leone? Ecce fortitudo Dei traxit ex ore leonis Judæ favum mellis, cibum angelorum.

II. — Gratiarum actio.

Si exsurgat adversum me prælium, in hoc ego sperabo; si consistant adversum me castra, non timebit cor meum quia Dominus mecum est; quoniam exaltabit caput meum super inimicos meos et non tradet me in animas tribulantium me, etiamsi insurgant in me testes iniqui. Domine, ante te omnis miseria mea et infirmitas mea; scutum mihi deest quo protegar adversus tela hostium, et deficit in me virtus mea. Sed per te, Domine, infirmi accincti sunt robore ideoque sitivit anima mea ad Deum fortem vivum: quando veniam et apparebo ante faciem Dei? transibo in locum tabernaculi admirabilis usque ad domum Dei, in voce exultationis et confessionis, quia ibi abscondita est fortitudo ejus. Ecce Deus meus, fiducialiter agam et non timebo quia fortitudo mea et laus mea Dominus, et factus est mihi in salutem; omnia ossa mea dicent: Omnia possum in eo qui me confortat.

Accedant debiles qui claudicant in viis Domini, veniant famelici et sitibundi, aperiat mutus os suum qui nescit loqui; non elongetur cæcus qui ducatum quærit: ecce panes ad vescendum, vinum au-

tem ut bibat si quis defecerit in deserto; venite et congregamini ad cœnam magnam Dei ut manducetis carnes regum et carnes fortium, multiplicatæ sunt infirmitates et ipsæ acceleraverunt. Seduxisti me, Domine, et seductus sum: fortior me fuisti et invaluisti; favus enim mellis composita verba tua et dulcedo animæ sanitas ossium. Sicut ros super herbam, ita et hilaritas tua. Ne, quæso, parcas jaculis igneis; hilarem vultum mihi ostende ne vertatur in luctum cithara mea et organum meum in vocem flentium.

III. — Propitiatio.

Robur non erat in me quia non comederam panem tota die illa; non gustavi prius pauxillum panis nec confortavi stomachum; et sic profectus sum. Heu mihi! defeci in via et grandis mihi restat via. Manus autem Dei nostri est super omnes qui derelinquunt eum. Ideo multi infirmi ejus et fortitudo et furor super omnes qui derelinquunt eum. Ideo multi infirmi et dormiunt multi. Qui manducaverit ex pane quem dederit ei Dominus ambulabit in fortitudine cibi illius usque ad montem Dei, ibit de virtute in virtutem et

videbitur ab eo Deus in Sion; qui autem abstinebit aut nauseat super eo quasi cibo levissimo, esuriet et deficiet, non bibet aquam et lassescet dissolventurque brachia ejus et infirmabuntur genua a jejunio. Igitur, qui timetis Dominum, credite illi et non evacuabitur merces vestra; qui timetis Dominum, sperate in illum et in oblectationem veniet vobis misericordia; qui timetis Dominum, diligite illum et illuminabuntur corda vestra: Rex fortis dominabitur eorum, ait Dominus Deus exercituum.

Sed et effeminati sunt in terra, feceruntque omnes abominationes gentium, prævaluit caro contra spiritum, nihil pendunt quod oculus non vidit, quod auris non audivit, quod non palpatur, quod non contrectatur, quod carnem et ossa non habent; esurientes et sitientes anima eorum in ipsis defecit.

Vere horrendum est incidere in manus Dei viventis! quis enim, ait Dominus, resistere potest vultui meo? Ecce, isti sunt quibus minatur: Dabo vobis panem arctum et aquam brevem. Juravit Dominus in dextera sua et in brachio fortitudinis suæ: Si dedero triticum meum ultra cibum inimicis meis, et si biberint filii alieni vinum meum in quo laboravi!

IV. — Oratio.

Oro igitur, Domine mi, loquatur servus tuus verbum in auribus tuis, et ne irascaris famulo tuo. Exsurge in adjutorium mihi, effunde frameam et conclude adversus eos qui persequuntur me, erige brachium tuum sicut ab initio et allide virtutem illorum in virtute tua; cadat virtus eorum in iracundia tua. Domine Deus, quandonam incipies ostendere servo tuo magnitudinem, manumque fortissimam? Non est enim alius Deus, vel in cœlo vel in terra, qui possit facere opera tua et comparari fortitudini tuæ. Non meretur adjutorium qui adjuvantem aut obliviscitur, aut provocat ad iram; sed quotiescumque pœnituit se recessisse a cultura Dei sui, dedisti ei, Deus cœli, virtutem resistendi.

Deus fortis super omnes, exaudi vocem eorum qui nullam aliam spem habent, et libera nos de manu iniquorum, et erue me a timore meo; auxiliare, Deus, servulo tuo infirmo, ne forte in itinere quidquam patiatur mali.

In labiis tuis ignis ardescit et sagittæ tuæ acutæ cum carbonibus desolatoriis; ecce terram in quam venisti ignem mit-

tere, asperge eam rore desuper ut cum refulgeat sol tuus fiat in ea ignis grandis valde. Ecce tu fecisti cœlum et terram in fortitudine tua magna, et in brachio tuo extento: non erit tibi difficile omne verbum. Dextera tua, Domine, magnificetur in fortitudine, dextera tua percutiat inimicos et impii in tenebris conticescant quia non in fortitudine sua roborabitur vir. Deus, exaudi orationem, auribus percipe verba oris mei, quoniam alieni insurrexerunt adversum me et fortes quæsierunt animam meam; protege me a conventu malignantium; memento mei et redde mihi fortitudinem pristinam, Deus meus.

TITULUS IX.

JESUS: PATER FUTURI SÆCULI

I. — Adoratio.

Vocabitur nomen tuum, Domine, Pater futuri sæculi; etenim tu quoque advena fuisti et peregrinus apud nos, vir femina circumdatus, infirmitate accinctus, tu

quoque cunctis diebus vitæ tuæ comedisti in curis multis et in ærumna. Sed iterum venturus es judicare vivos et mortuos; de torrente in via bibisti, propterea exaltabis caput et dies erit quando pones inimicos tuos scabellum pedum tuorum. Adoro te, Pater futuri sæculi! tui sunt cœli et tua est terra et omnia sæcula, sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedech. Tu solus spes mea, expectatio mea, tu solus pars hæreditatis meæ et calicis mei, tu es qui venturus es nec alium exspectamus. Scio enim quod Redemptor meus vivens sis et in novissimo die de terra surrecturus sum, et in carne mea videbo te, Deus meus, quem visurus sum ego ipse, et oculi mei conspecturi sunt et non alius. Reposita hæc est spes mea in sinu meo. Regnum enim tuum, regnum omnium sæculorum, et dominatio tua in omni generatione et generationem; dum mundus transit et concupiscentia ejus. Tu autem, Domine, in æternum permanes et memoriale tuum in generationem et generationem.

Per fidem autem ambulamus, non per speciem; sed credo, sed toto corde ad te anhelo, sicut pullus hirundinis sic clamo; attenuati sunt oculi mei suspicientes in excelsum. Te solum quæro,

te solum desidero, Rex æternæ gloriæ, diligo enim mandata tua super aurum et topazion et omnia quæcumque præcipisti mihi faciam, Pater.

II. — Gratiarum actio.

Placebo tibi, Domine, in regione vivorum, totusque ero in diebus æternitatis meæ. Per me enim, dicis, Domine, multiplicabuntur dies tui, et addentur tibi anni vitæ. Gratias igitur tibi, Pater futuri sæculi. Scio quia si quis manducaverit ex hoc pane, vivet in æternum: ecce funes mei et in præclaris. Tu nosti quanto tædio, quantis curis plena sit vita mea; longior mihi sæpe fuit, sæpius gravata supra modum dum deficiebant sicut fumus dies mei et ossa mea sicut cremium aruerunt. Gratias tibi ago quod terra nonnisi tribulos et spinas mihi protulerit. Benedictus sis qui conclusisti vias meas lapidibus quadris, absinthio et felle me sæpius potasti, exspectationes confudisti, spem in te non repositam abstulisti, luctumque pro gaudio constituisti ut tandem proposito gaudio sustinerem crucem confusione contempta et qui in terra manentem civitatem non habeam, futuram inquiram et ad eam properem

ane suavissimo roboratus omnibus die-
us vitæ meæ.

Quam dulcia eloquia tua, Domine!: eati, pauperes, quia vestrum est regnum ei! Beati qui nunc esuritis, quia satu-abimini! Beati qui nunc fletis, quia ri-ebitis! Bonum semen seminabas in agro eo cum contrarios homines mihi pone-as et versus es mihi in crudelem et me onfundebas ab omni exspectatione mea. Mihi adhærere Deo bonum est, ponere n Deo meo spem meam, etenim male-ictus homo qui confidit in homine et on posuit in Deo spem suam. Patri uturi sæculi unice adhæream quem cum on viderim diligo, in quem nunc quoque on videns credo ut probatio fidei meæ nveniatur in laudem et gloriam in hono-em in revelatione Jesu Christi.

III. — Propitiatio.

Dies mei velocius transierunt et con-u apti sunt absque ulla spe revertendi; entus est vita mea. Breves dies hominis unt, numerus mensium ejus apud te est; onstituisti terminos ejus qui præteriri on poterunt. Attamen homo dormit nnum suum et nihil invenit vir divi-iarum in manibus suis; vanitati similis

factus est, diesque ejus sicut umbra præ-tereunt.

Heu mihi! quia incolatus meus pro-longatus est! Heu mihi quia habitavi cum habitantibus Cedar, multum incola fuit anima mea super terram! Cunctis diebus quibus milito, exspecto donec ve-niat immutatio mea. Numquid sedi in concilio vanitatis aut in concilio impio-rum et congregatione? nihil mihi con-scius sum, sed non in hoc justificatus sum; qui autem judicat me Dominus est. Numquid apparebo ante Dominum va-cuus? quinimo offeram secundum quod habuero juxta benedictionem Domini Dei mei.

Percussus eram ut fœnum et arescebat cor meum quia oblitus sum comedere panem meum, dum illuc ascendebant ad montem Domini tribus ejus ad confiten-dum nomen Domini. Et ego tamquam mutus non aperiens os suum et non ha-bens in ore suo redargutiones. Lætabar in his quæ dicta erant mihi: in domum Domini ibimus; sed sicut aspis surda obturabam aures meas a voce exprobran-tis me, quinimo cum paraverat Dominus in conspectu meo mensam adversus eos qui tribulant me in deliciis habui au-dire eos dicentes: Ecce gaudium et læ-

ãtiam comedere carnes istas nostras et ibere vinum; comedamus et bibamus, ras enim moriemur. Et ventris concupi-centiis et animæ irreverenti et infrunitæ editus, a te elongabar; non videbam Deum in terra viventium. Miserere, Do-mine, quia pulvis et cinis sum ego.

IV. — Oratio.

Exaudi, Domine, vocem deprecationis meæ, dum oro ad te, dum extollo ma-nus meas ad templum sanctum tuum; Domine Pater et Dominator vitæ meæ, ne derelinquas me in consilio inimico-rum, nec sinas me cadere in illis. Aufer a me ventris concupiscentias, et animæ irreverenti et infrunitæ ne tradas me. Ecce nunc, Domine, sequimur te in toto corde, timemus te, et quærimus faciem tuam; et tu secundum multitudinem mi-sericordiæ tuæ da gloriam nomini tuo, Domine. Libera me et pone me juxta te, et tunc cujusvis manus pugnet contra me; deduc me in semitam mandatorum tuo-rum, quia ipsam volui; inclina cor meum in testimonia tua, et non in avaritiam; averte oculos meos ne videant vanitatem. Sicut aquila provocans ad volandum pullos suos et super eos volitans, ex-

pande alas tuas et assume me, atque porta me in humeris tuis. Qui sedes super Cherubim, manifestare coram Ephraim, excita potentiam tuam, et veni ut salvos facias nos. Tuæ divitiæ et tua est gloria, tu dominaris omnium; in manu tua virtus et potentia, in manu tua magnitudo et imperium. Satiabor autem cum apparuerit gloria tua, satiabimur ab ubertate domus tuæ; dirige vias nostras et actus nostros in beneplacito tuo ut fideles inveniamur in die adventus tui et ingrediamur regnum tuum, Pater futuri sæculi et Rex æternæ gloriæ!

TITULUS X.

JESUS: MAGNI CONSILII ANGELUS

I. — Adoratio.

In principio erat Verbum et sapientia habitabat in consilio: Faciamus hominem ad imaginem et similitudinem nostram. Per ipsum omnia facta sunt et sine ipso factum est nihil quod factum est. Sapientia ejus delectabatur per singulos

dies ludens coram eo in orbe terrarum et deliciæ ejus esse cum filiis hominum donec, a summo cœlo egressus, exultavit ut gigas ad currendam viam suam, in similitudinem hominum factus et habitu inventus ut homo.

Tunc ait: Ecce qui loquebar adsum; et viam pacis et veritatem in simplicitate docuit. Deum nemo vidit umquam; Unigenitus Patris ipse enarravit et vidimus gloriam ejus quasi Unigeniti a Patre plenum gratiæ et veritatis. Videt eum nunc oculus meus, quasi angelum Dei et conturbatur cor meum præ timore gloriæ suæ. Quis hominum poterit scire consilium Dei? aut quis poterit cogitare quid velit Deus? ecce Filius Dei, magni consilii Angelus omnia quæcumque audivit a Patre suo nota fecit nobis, propterea dixit nos amicos suos et voluntatem Patris aperte nos docuit ut sancte, pie et juste vivamus in hoc sæculo, exspectantes beatam spem et adventum summi Regis in quem nunc non videntes credimus. Consilium Dei non longe est a nobis; ecce nobiscum Deus, Emmanuel; sciat omnis terra quia non est alia natio tam grandis quæ habeat deos suos propinquantes sibi sicut Deus noster adest nobis ut ad patriam nos reducat.

II. — Gratiarum actio.

Clama ad me, dicit Dominus, et exaudiam te, et annuntiabo tibi grandia et firma quæ nescis; grandia quidem et incomprehensibilia cogitatu, quæ si quis audierit, tinnient ambæ aures ejus. Per prophetam dixit: Ego, ego ipse consolabor vos; dicite filiæ Sion: Ecce Salvator tuus venit, ecce merces ejus cum eo, et opus ejus coram illo. Consolabitur ergo Dominus Sion et consolabitur omnes ruinas ejus; et ponet desertum ejus quasi delicias et solitudinem ejus quasi hortum Domini; gaudium et lætitia invenietur in ea, gratiarum actio et vox laudis.

Beatus homo qui audit eum et vigilat ad fores ejus, et observat ad postes ostii ejus; ad benedictionem enim adductus est, oculique ejus aperti sunt super domum hanc die ac nocte de qua dixit: Erit nomen meum ibi, ut exaudiam orationem quam orat in loco isto servus meus.

Video cœlum apertum et ecce thronus albus, et qui sedet super eum vocatur fidelis et verax et cum justitia judicat et regnat. Hæc sedes ejus in sæculum sæculi; non eam relinquet etsi afflictus, etsi derelictus, etsi ignis quem mittere

venit non accendatur nec ascendat fumus aromatum in conspectu ejus. Gratias agimus tibi, Domine, Deus omnipotens, qui es et qui eras, et qui venturus es; quia accepisti virtutem tuam magnam et regnasti.

Vere adest tabernaculum tuum cum hominibus et operit quidem cœlos gloria tua et laude plena est terra cum Unigenitus tuus ipse pro nobis consiliator, custos et rector; ipse est angelus quem mittis ante faciem nostram, ad dandam scientiam salutis ut ambulemus in semitis tuis.

III. — Propitiatio.

Potestatem dedit ei Pater judicium facere quia filius hominis est, quia Verbum caro factum est et habitavit in nobis. Non ad salvandum tantum sed ad judicandum missus est Angelus Testamenti qui magnus est consilio et incomprehensibilis cogitatu; cujus oculi aperti sunt super omnes vias filiorum Adam, ut reddat unicuique secundum vias suas.

Indignus quidem sum ego, multum repletus despectione, vitiis scaturit substantia mea; sed unde avertis faciem tuam a me tu qui missus es peccatores

salvos facere? Memento, quæso, quod nomen tibi sit et testamenti tui sancti, tu, angele magni consilii, qui ad Patrem perfers sacrificium in sublime altare suum, unam pro peccatis offerens hostiam, una oblatione consummans in sempiternum sanctificatos. Memento bonitatis tuæ et quia dictum est: Ignis a facie ejus exarsit, et carbones succensi sunt ab eo. Ante faciem tuam ignis vorans et post te flamma exurens; quasi hortus voluptatis terra coram te, et post te solitudo deserti, neque est qui effugiat te.

Quomodo autem ad te loquar, Deus meus, magni consilii angele? Quid est omnis caro ut audiat vocem Dei viventis, qui de medio ignis loquitur? quid tu, anima mea, quæ lippis es oculis? forsitan vestigia Dei omnipotentis comprehendes? Excelsior cœlo est, et quid facies? profundior inferno, et unde cognosces? Sed ad quem ibimus, Domine? verba vitæ æternæ habes nec est alius in quo oporteat nos salvos fieri; te præmisit Pater ante nos ut reservemur in terra et victum habeamus ad vivendum; nisi enim manducaverimus panem tuum non habebimus vitam in nobis.

IV. — Oratio.

Domine, exaudi deprecationem nostram et propitius esto sorti et funiculo tuo, et converte per manus sancti angeli tui luctum nostrum in gaudium, ut viventes laudemus nomen tuum, et ne claudas ora te canentium.

Numquid abbreviata et parvula facta est manus tua, ut non possis redimere? aut non est in te virtus ad liberandum; tu enim es Filius Dei vivi, Angelus magni consilii ad salvandos homines e summo cœlo egressus: ministerium tuum imple, propitius esto. Per viscera misericordiæ tuæ in quibus visitasti nos oriens ex alto, remitte mihi ut refrigerer priusquam abeam; deficiunt enim dies mei. Te decet hymnus, Deus, in Sion, sed exaudi nos, Deus, salutaris noster, spes omnium finium terræ et in mari longe. Respice ad orationem servi tui, Pater, et ad preces ejus, nam justificavit ipse servus tuus multos et pro eo quod laboravit anima ejus fac ut videat semen longævum; audi hymnum et orationem quam servus tuus qui habitat in nobis, Verbum caro factum, orat coram te hodie.

Fac audiamus Angelum tuum magni consilii nec contemnendum putemus eo

quod sit voluntas tua in eo et in ipso divinitas habitat corporaliter. Misereberis pauperculi famuli tui qui in te solummodo confidit, nec alium regem patitur regnare super se; non enim habemus alterum angelum in exitu de Ægypto nec est alter sequester et medius inter te et nos in tempore hoc ut annuntiet nobis verba tua.

TITULUS XI.

JESUS: POTENTISSIMUS

I. — Adoratio.

Fortissime, magne et potens, Dominus exercituum nomen tibi. Rex omnipotens, in ditione tua cuncta sunt posita et non est qui possit resistere voluntati tuæ. Adoro te Dominum universæ creaturæ cui omnia tradita sunt a Patre, quem prona facie laudant Angeli, quem adorant Dominationes, quem tremunt Potestates, a cujus nutu omnia pendent. Conticescat omnis gloria, quælibet potestas coram te: omnes gentes quasi non sint, sic sunt coram te,

Gaudio superabundat anima mea, exultat spiritus meus in Deo salutari meo, quia facit nobis magna qui potens est, et sanctum nomen ejus. Ipse est enim qui facit potentiam in brachio suo, qui commovit terram de loco suo et columnæ ejus concutiuntur; qui præcipit soli, et non oritur; et stellas claudit quasi sub signaculo; qui extendit cœlos solus, et graditur super fluctus maris.

Ego autem cognosco quia nomen tibi Dominus, tu solus Altissimus in omni terra qui extendis aquilonem super vacuum et appendit terram super nihilum. Portio mea, Domine, dixi custodire legem tuam; scio quia omnia potes et nulla te latet cogitatio.

Mandavit nubibus desuper et januas cœli aperuit et pluit nobis manna ad manducandum et panem cœli dedit nobis; panem angelorum manducavit homo, cibaria misit nobis in abundantia. Memoriam fecit mirabilium suorum misericors et miserator Dominus, escam dedit timentibus se.

II. — Gratiarum actio.

Deus meus, misericordia mea, ego cantabo fortitudinem tuam et exultabo mane misericordiam tuam; sed quis universa

mirabilia tua sufficiat enarrare? quis potentiam tuam digne enuntiabit? Jubilate Deo omnis terra, psalmum dicite nomini ejus, date gloriam laudi ejus. Dicite Deo: quam terribilia opera tua, Domine, nimis profunda facta sunt; quam terribilis atque suavis in consiliis super filios hominum: omnia in sapientia fecisti, impleta est terra possessione tua. Quis loquetur potentias Domini, auditas faciet inventiones ejus et laudes ejus?

Dicite nobis quam magnus Dominus et quam laudabilis in fractione panis, enuntiate nobis quam vivus sermo Dei et efficax et penetrabilior omni gladio ancipiti et pertingens usque ad divisionem animæ ac spiritus, compagum quoque ac medullarum et discretor cogitationum et intentionum cordis. Multiplicati sunt qui tribulant me, multi insurgunt adversum me, multi dicunt animæ meæ: Non est salus ipsi in Deo ejus. Circumdantes circumdederunt me inimici mei; en Agnus vincet illos quoniam Dominus Dominorum est et Rex regum et qui cum illo sunt, vocati, electi et fideles. Ipse transit, et spiritus grandis et fortis subvertens montes et conterens petram ante Dominum; ipse consurget mihi adversus mali-

gnantes et stabit mecum adversus operantes iniquitatem. Nisi tu, Domine, adjuves me, citius in inferno habitabit anima mea, nam pauper sum ego et dolens. Salus tua suscipiat me; tu enim dirumpis fontes et tu siccas fluvios, tuus est dies et tua est nox, convertis petram in stagna aquarum et paras mensam in deserto, percutis petram et fluunt aquæ, consequente nos petra; petra autem est Christus.

III. — Propitiatio.

Et nunc, Domine, memor esto mei et ne vindictam sumas de peccatis meis, neque reminiscaris delicta mea vel parentum meorum. Peccavimus cum patribus nostris, injuste egimus, iniquitatem fecimus; rei sumus mortis, sed tu qui pius es, miserere nostri et noli tradere confitentes te populo qui te ignorat. Verumtamen vias meas in conspectu tuo arguam. Conscius sum miseriæ meæ, delictorum meorum memor sum, peccatum meum contra me est semper; idcirco me reprehendo et ago pœnitentiam in favilla et cinere. Etenim ex ore tuo prodit gladius ex utraque parte acutus ut in ipso percutias gentes, exspectat nos

infernus, turba dæmonum exultans enumerat quanta turba spatiosam viam intret et quam pauci per angustam portam ingredi conentur. Potentiæ tuæ illudunt et sanguinem tuum pro multis inutiliter effusum tibi exprobrant. Teipsum per prophetam audivisse lætantur: Idcirco vivo ego, dicit Dominus Deus: nisi pro eo quod sanctum meum violasti in omnibus offensionibus tuis, et in cunctis abominationibus tuis; ego quoque confringam et non parcet oculus meus et non miserebor.

Sed tamen ad Omnipotentem loquar et disputare cum Deo cupio; in memoriam ejus revocabo magnalia quæ fecit, memoriam mirabilium suorum et omni voce clamabo: Contra folium quod vento rapitur, ostendis potentiam tuam et stipulam siccam persequeris; respice in faciem Christi tui et miserere nobis; ecce agnus Dei, ecce qui tollit peccatum mundi, Domine, ne irascaris satis.

IV. — Oratio.

Ad te, Domine, faciam meam converto, ad te oculos meos dirigo. Fac mihi magna, qui potens es, fac potentiam in brachio tuo. In te enim omnis spes mea et

omne desiderium meum; benigne fac in bona voluntate tua Sion, surge et dissipentur inimici tui et fugiant qui oderunt te a facie tua. Tu qui mutas tempora et ætates, transfers regna atque constituis, das sapientiam sapientibus et scientiam intelligentibus disciplinam, potentissime Redemptor, miserere mei et glorifica manum tuam super servum tuum humiliter te deprecantem! Obcæcati filii a viis tuis recesserunt, amaritudine repleta est anima tua, felle et absinthio potat te Babylon, irrideris, blasphemaris, opprobrio afficeris: unus tibi fidelis remaneat. Eripe me a fluvio turbido qui irrigat Ægyptum, erue me de medio fornacis ardentis, ab impetu leonum, ab insidiis diaboli, a pressura flammæ quæ circumdedit me.

Tu qui mandasti nubibus desuper et januas cœli aperuisti et pluit nobis manna ad manducandum et panem cœli dedisti nobis; panem enim angelorum manducavit homo: cibaria misisti nobis in abundantia; ne projicias me unquam a mensa tua, nam sæpe sæpius deficio in via hujus deserti, sitio, adhæret lingua mea ad palatum meum in siti, esurio, quæro cibum mihi ut refocillem animam meam: in adjutorium meum intende.

Sperat in te anima mea, quoniam in æternum confitebor tibi; ipse es Deus meus et glorificabo te.

TITULUS XII.

JESUS: PATIENTISSIMUS

I. — Adoratio.

Patiens et longanimis Dominus et misericors et miserator, et miserationes ejus super omnia opera ejus. Cum essemus in terra hostili non penitus abjecit nos neque sic despexit ut consumeremur et irritum faceret pactum suum nobiscum. Ipse enim est Dominus Deus noster et recordabitur fœderis sui pristini. Sed et si quis peccaverit, advocatum habemus apud patrem Jesum Christum justum; injuste egimus nos omnes, Jesus autem justus pro injustis debitum solvit: justificati enim sumus in sanguine ipsius, et salvi ab ira per ipsum. Si Dominus nos vellet occidere, de manibus nostris holocaustum et libamenta non suscepisset nec ostendisset nobis hæc omnia, nec dixisset per pro-

bhetam: Ego sum, ego sum ipse qui deleo iniquitates tuas propter me, et peccatorum tuorum non recordabor. Et post omnia quæ venerunt super nos in pperibus nostris pessimis et in delicto nostro magno, tu, Deus noster, non nos liberasses de iniquitate nostra et dedis-ses nobis salutem sicut est hodie. Num-quid enim vane redemisti filios homi-num? Num frustra hic habitas et sedem aanc elegisti in sæculum sæculi; hic aabitabis quoniam elegisti eam, nec aquæ multæ poterunt extinguere charita-em tuam nec flumina obruent illam.

Spes nostra, Domine, patientia tua, et rita in voluntate tua. Ideo humiliamus ibi animas nostras, et in spiritu consti-uti humiliato, servientes tibi, dicimus ibi ut secundum voluntatem tuam sic iacias nobiscum misericordiam tuam, ut sicut conturbatum est cor nostrum in superbia impiorum, ita etiam de nostra humilitate gloriemur.

II. — Gratiarum actio.

Misericordia Domini plena est terra, nec est qui se abscondat a calore ejus. Attamen filios enutrivit et exaltavit et ipsi spreverunt eum; sed ipse longanimis

fuit in adinventionibus eorum. Quadraginta annis prope fuit generationi huic et dixit: Semper hi errant corde, ipsi vero non cognoverunt vias meas quibus juravi in ira mea si introibunt in requiem meam. Sed propter semetipsum distulit ne forte dicerent gentes: Ubi est Deus eorum? Non est similis ei in diis nec nihil sub sole novi. Etenim qui manducabat secum panem levavit contra eum calcaneum suum; ipse autem tamquam agnus coram tondente se obmutuit et non habuit in ore suo redargutiones, quinimo in qua nocte tradebatur accipiens panem benedixit ac fregit deditque discipulis suis et ait: Accipite et comedite: hoc est Corpus meum.

Obediente Deo voci hominis stetit olim sol; ipse autem qui posuit in sole tabernaculum suum, nobiscum est usque ad consummationem sæculi, in humilibus constitutus, habitus ut homo, sicut vermis et non homo, ut quomodo si cui mater blandiatur ita et consoletur nos, recordatus misericordiæ suæ, oblitusque fortitudinis suæ reponensque majestatem sub nubila, sub nubecula parva quæ est velut vestigium hominis. Dominus in loco sancto suo clamat: Jerusalem, Jerusalem, quoties volui congregare filios tuos, quem-

dmodum gallina congregat pullos suos ub alas et noluisti!

Misericordia Domini quia non sumus onsumpti; etenim terra clamat: quare ustineo hos; aër vero: quare non suf- oco eos? Gratias Deo et Agno qui occi- us est et revixit.

III. — Propitiatio.

Et nunc quid dicemus, Deus noster, ost hæc? Quia dereliquimus mandata ua. Ecce coram te sumus in delicto no- tro; non enim stari potest coram te uper hoc. De cœlo prospexisti super ilios hominum, ut videas si est intelli- ens aut requirens Deum; omnes decli- averunt, simul inutiles facti sunt, non st qui faciat bonum, non est usque ad num.

Loquere, Domine: Usquequo detrahet ihi populus iste? quousque non cre- ent mihi in omnibus signis quæ feci oram eis? ad ipsos e summo cœlo gressus sum, infirmitates et dolores eo- um portavi, pro his passus sum, usque d finem eos diligens cum eis sum usque d consummationem sæculi; idcirco, ecce go cibabo populum istum absinthio et um dabo eis aquam fellis.

Ad hæc quid respondebimus Domino meo? vel quid loquemur, aut juste poterimus obtendere? Deus invenit iniquitatem servorum suorum et omnes servi sumus Domini mei; in multis quidem offendimus omnes: quod si in æternum irasceris nobis quo ibimus a Spiritu tuo et quo a facie tua fugiemus? usquequo, Domine, irasceris in finem, accendetur velut ignis zelus tuus? Ne memineris iniquitatum nostrarum, cito anticipent nos misericordiæ tuæ, quia pauperes facti sumus nimis. Tibi autem Domino Deo nostro misericordia et propitiatio, quia recessimus a te et propter nosmetipsos hæc patimur, peccantes in te Deum nostrum, et digna admiratione facta sunt in nobis; recessimus a fonte aquæ vivæ damusque tibi vinum bibere cum felle mixtum, rursum crucifigentes in nobismetipsis te, Fili Dei, qui pane angelorum et vino germinante virgines nos cibas quotidie!

IV. — Oratio.

O Deus patiens et multæ misericordiæ et verax, respice in me et miserere mei. Ne despicias hominem avertentem se a peccato, neque improperes ei: me-

mento quoniam omnes in correptione sumus, non incendas carbones peccatorum, arguens eos. Patientiam habuisti, remisisti, pepercisti, propitius, clemens et misericors, longanimis et multæ miserationis non dereliquisti nos: numquid nunc iratus es nobis usque ad consummationem, ne dimitteres nobis reliquias ad salutem? Inclina, Deus meus, aurem tuam et audi: aperi oculos tuos et vide desolationem nostram et civitatem super quam invocatum est nomen tuum.

Oro saltem ut inhabitem in domo tua omnibus diebus vitæ meæ, neque projicias me a facie tua. Quod si tanta gratia indignus tibi videor, memento tamen quia in magna domo non solum sunt vasa aurea et argentea, sed et lignea et fictilia. Ego, ego in Domino speravi; etiamsi habuero quippiam justum, non respondebo sed meum judicem deprecabor et tremens ac stupens dicam: Domine, quid me vis facere? non avertas faciem tuam a me, et similis ero descendentibus in lacum, auditam fac mihi mane misericordiam tuam, quia in te speravi.

Injuste et flagitiose egimus erga te, Domine, inique egimus et ad iracundiam provocavimus, sed parce et ne in iracundia tua arguas nos nec in furore tuo

corripias nos. Si agentes pœnitentiam et confitentes nomini tuo venerint, et oraverint, et deprecati te fuerint in domo hac, exaudi in cœlo, dimitte peccatum populi, tu qui mitis es et humilis corde et multus ad ignoscendum. Numquid oblivisceris misereri, Deus? aut continebis in ira tua misericordias tuas? ipse misericors es et natura tua bonitas, propitius fies peccatis nostris et non disperdes nos.

TITULUS XIII.

JESUS: OBEDIENTISSIMUS

I. — Adoratio.

Humiliavit semetipsum factus obediens usque ad mortem, mortem autem crucis. Sacrificium et oblationem noluit, corpus autem aptavit sibi; holocaustum et pro peccato non postulavit: tunc dixit: Ecce venio! in capite libri scriptum est de me ut facerem voluntatem tuam, Pater. Sic qui omnium Dominus est, sub tutoribus et actoribus constituitur usque ad præfinitum tempus a Patre, usque ad

consummationem sæculi; sic qui omnibus imperat, qui dixit et facta sunt, omnia omnibus factus est, omnium servus et in medio nostri stat tanquam qui ministrat: etenim non venit ministrari sed ministrare, et dare animam suam redemptionem pro multis.

Multa fecisti tu, Domine Deus meus, mirabilia tua, et cogitationibus tuis non est qui similis sit tibi; oblatus es enim quia ipse voluisti, et non aperuisti os tuum; sicut ovis ad occisionem ductus es et quasi agnus coram tondente se obmutuisti et non aperuisti os tuum.

Conversatio tua, Deus, et deliciæ tuæ esse cum filiis hominum, voluntatem timentium te facere, vita tua eos enutrire ut ipse in siti tua potum invenias et cibum tuum comedas: etenim cibum habes quem nos nesciebamus adhuc quia obliti sumus comedere panem nostrum supersubstantialem; cibus tuus est ut facias voluntatem ejus qui te misit, ut perficias opus ejus quem dedit tibi. Ecce, copiosa apud te Redemptio, sed oportet adimplere ea quæ desunt passionum tuarum, ut impleatur voluntas Patris qui dixit: ipse servus meus justus justificabit multos. Vere, tu es Dominus ac servus, primus et novissimus, alpha et omega, prin-

cipium et finis, exemplum et factor operis! Domine, quis similis tibi? Quam bonus Israel Deus!

II. — Gratiarum actio.

Suscepimus, Deus, misericordiam tuam in medio templi tui: misericordia plena est dextera tua, nam cum non sit opus medico bene habentibus, venisti curare infirmitates nostras suscipiens eas in temetipso ut disceres ex iis quæ passus es obedientiam, et, consummatus, fieres omnibus obtemperantibus tibi causa salutis æternæ. Lætetur ergo mons Sion, et exultent filiæ Judæ propter judicia tua, Domine; ponant homines corda sua in virtute tua: quoniam ipse es Deus, Deus noster in æternum et in sæculum sæculi; quoniam magnus et laudabilis nimis, in civitate Dei nostri, in monte sancto ejus. Sentimus de te, Domine, in bonitate et in simplicitate cordis quærimus te quia parvulus puer datus es nobis ut obedientia tua salvos faceres filios hominum, oves quæ perierunt de domo tua. Prope es omnibus invocantibus te, omnibus invocantibus te in veritate. Vere voluntatem timentium te facis, inveniris ab iis qui non tentant te, appares eis qui fidem

habent in te. Quasi diluculum præparatus est egressus tuus, et venies quotidie quasi imber nobis matutinus et serotinus terræ. Libentissime impenderis et superimpendes te ipsum pro animabus nostris et doces in veritate vias Dei; erunt enim omnes docibiles Dei ac fecisti sanabiles nationes: tantummodo nobis superest ut dirigamus oculos nostros ad te qui habitas in cœlis, in summo cœlo a quo egressus es, in quo constituisti temetipsum cum in finem nos dilexisti et panem de cœlo præstitum, nobis manducandum reliquisti.

Qui respiciebant olim serpentem æneum salvi fiebant; nunc autem implentur verba quæ dixisti: cum elevatus fuero a terra, omnia traham ad meipsum: ecce enim thronum et super thronum stantem videmus; ipse es, Agnus Dei, qui occisus es et revixisti, tibi honor et gloria.

III. — Propitiatio.

Insensati corde, nonne legistis quod dictum est: Diligas Dominum Deum tuum, atque obedias voci ejus, et illi adhæreas; ipse enim est vita tua, et longitudo dierum tuorum? Audite me, duro corde, qui longe estis a justitia, audite et auribus

percipite. Si obedieritis mandatis meis, ut diligatis Dominum Deum vestrum et serviatis ei in toto corde vestro, et in tota anima vestra, dabit pluviam terræ vestræ temporaneam et serotinam. Anima autem operantium impinguabitur quia vita in voluntate Domini et melior est obedientia quam victimæ et auscultare magis quam offerre adipem arietum.

Utinam, Domine, sacrificia mea sicut sacrificia Aaron consumentur igne quotidie, utinam obediam usque ad mortem, et perdam animam meam ut inveniam iterum eam! Dixisti enim: Nisi granum frumenti cadens in terram mortuum fuerit, ipsum solum manet; si autem mortuum fuerit, multum fructum affert. Ego abiens abscondam in terra talentum et granum meum quod a te recepi, Domine, ut fructum centesimum afferat: ecce enim sequar te quocumque ieris, te timebo et mandata tua servabo: hoc est enim omnis homo; in operibus meis non invenietur voluntas mea sed tua, idcirco non reprobabis me a pueris tuis: voluntas mea omnia mea est, hæc tibi do quoniam Deus meus es tu et bonorum meorum non eges sed contra clamas: Fili, præbe cor tuum mihi. Scindam cor meum et non vestimentum meum, ut cor mundum crees

in me Deus, desque mihi cor docile qui judicare possit populum tuum hunc multum.

IV. — Oratio.

Ecce, Domine, præsto sum: vocabis me et respondebo tibi, operi manuum tuarum porriges dexteram, nam servus tuus sum ego et filius ancillæ tuæ Mariæ. Concupivit anima mea desiderare justificationes tuas in omni tempore; qui obedientia tua nos redemisti, obedientia mea salvum me fac. Ut jumentum fiam apud te, et ego semper tecum. Attamen caro hominis dum vivet, dolebit et anima illius super semetipso lugebit; ure tamen et seca, innova in me signa et immuta mirabilia, perimatur in me vetus homo, expurgetur vetus fermentum, fermentum malitiæ et nequitiæ, voluntas tua non mea fiat, non quod volo sed quod tu, Deus meus; scio enim quoniam quasi peccatum ariolandi est repugnare, et quasi scelus idololatriæ nolle acquiescere voluntati tuæ.

Quid mihi erit in cœlo et a te quid volo super terram, nisi ut fiat voluntas tua sicut in cœlo et in terra? abeant cæteri peccatores post desideria cordis sui, ego voluntati tuæ adhærebo et tu, Domine, dabis in Sion salutem et in Israel

gloriam tuam. Mihi adhærere tibi, Deus, bonum est; ponere in te spem meam, nam substantia mea absque te tanquam nihilum ante te et ad nihil valet ultra. Domine, quid me vis facere? paratum cor meum, Deus, paratum cor meum, faciamque quæcumque dixeris mihi. En, vox turturis audita est: Ecce ancilla Domini, fiat mihi secundum verbum tuum; potestne homo oblivisci dolorum matris suæ ut non imitetur eam? et si oblivisci potest, ego autem non obliviscar testamenti tui, Domine, quem dedisti mihi: Ecce mater tua. Sequar vestigia ejus die noctuque serviens tibi, immaculatum me custodiens ab hoc sæculo ut inter famulos tuos qui eam receperunt in sua omnia, merear connumerari. Confirma, Deus, quod operatus es in nobis.

TITULUS XIV.

JESUS: MITIS ET HUMILIS CORDE

I. — Adoratio.

Tollimus, Domine, jugum tuum super nos, et discimus a te quia mitis es et humilis corde et invenimus requiem ani-

mabus nostris; jugum enim tuum suave est et onus tuum leve. O quam suavis est, Domine, spiritus tuus qui ut dulcedinem tuam in filios demonstrares pane suavissimo de cœlo præstito esurientes reples bonis, fastidiosos divites dimittens inanes! o quam bonus et suavis est, Domine, spiritus tuus in omnibus! vere tu, Deus noster, suavis et verus es, patiens et in misericordia disponens omnia!

Sæpe sæpius desideravit anima mea te videre et audire: favus enim distillans, labia tua; sed voluntas tua in iis qui simpliciter ambulant et cum simplicibus sermocinatio tua. Scio, Deus meus, quod probes corda et simplicitatem diligas: unde ego in simplicitate cordis mei offero universa hæc, humilians valde spiritum meum, nam resistis superbis, humilibus autem das gratiam, dum oratio humiliantis se nubes penetrat nec requiescit donec propinquet. Tu dominaris potestati maris, motum autem fluctuum ejus tu mitigas: tu humilias sicut vulneratum superbum et in brachio virtutis tuæ dispergis inimicos.

Utinam spiritum tuum cognoscam et habeam! nos autem nescimus cujus spiritus sumus, etenim multi spiriti exierunt in mundum; spiritus tuus bonitas est.

Ego vero sic cucurro si quomodo comprehendam in quo et comprehensus sum a te, omnia detrimentum existimans propter eminentem scientiam tuam, ut te lucrifaciam. Quam alta et incomprehensibilia judicia tua, Domine! Viæ nostræ non sunt viæ tuæ, et non respicis nisi ad pauperculum et contritum corde. Nimis profunda facta sunt judicia tua, Domine!

II. — Gratiarum actio.

Nunc igitur ego laudo et magnifico Regem cœli, quia omnia opera ejus vera, et viæ ejus judicia, et gradientes in superbia potest humiliare. Beatus vir cui benedixit Dominus et misit in cor ejus spiritum filii sui! ore enim ad os loquitur, et palam et non per ænigmata! ponit humiles in sublime et mœrentes erigit sospitate; quantum superbos a longe despicit, tantum humilibus appropinquat. Nec superbis ab initio placuerunt illi, sed mansuetorum semper illi placuit deprecatio. Humiliabo valde spiritum meum; tunc anima mea non sedebit vidua et ignorabo sterilitatem, imo fructus justitiæ educet terra mea hucusque deserta, quia oratio humiliantis se nubes pene-

trabit et non discedet donec Altissimus respiciat. Suscipiens enim mansuetos Dominus, humilians autem peccatores usque ad terram.

Beatus homo qui corripitur a Deo! increpationem ergo tuam non reprobabo, Domine, quia vulneras et mederis, percutis et manus tuæ sanabunt. Veni et mane mecum et non timebo, sequar te et disponebis mihi sicut disposuit tibi Pater regnum, quia permanebo tecum in tentationibus tuis: gloriam enim præcedit humilitas et nemo ascendit in cœlum nisi qui descendit de cœlo, nosque tecum membra de membro. Consepulti enim sumus tecum ut tecum resuscitemus in gloriam et participantes passionum tuarum gaudeamus, scientes quod probatio fidei nostræ spem operatur quæ non confundit; si enim socii passionis tuæ sumus, erimus et gloriæ ut bibamus et edamus super mensam tuam in regno et in domo Patris tui in qua mansiones multæ sunt; locum videlicet a te paratum diligentibus te, quibus omnia in bonum cooperantur.

III. — Propitiatio.

Circumcidimus igitur præputium cordis nostri et cervicem nostram ne induremus amplius neque ambulemus in magnis et mirabilibus super nos. Ecce enim vox de medio tabernaculi: Numquid est cor tuum rectum, sicut cor meum cum corde tuo? non habitabit in medio domus meæ qui facit superbiam; qui se exaltat humiliabitur et qui se humiliat exaltabitur; quid superbit terra et cinis?

Ecce, Domine, humilia respicis in cœlo et in terra; elevaverunt flumina, elevaverunt fluctus suos a voce aquarum multarum, sed mirabilis in altis Dominus: exaltat se homo et exaltabitur Deus, inclinat se homo et inclinabitur Dominus. Initium enim omnis peccati superbia, initium vero sapientiæ timor Domini quo veritatem sectando in veritate stemus et non simus ex patre diabolo qui in veritate non stetit sed homicida fuit ab initio. Gloriam tuam, Deus, alteri non dabis, et gloria tua est gloria Unigeniti a Patre pleni gratiæ et veritatis. Ad hoc enim venisti in mundum ut testimonium perhiberes veritati et notum faceres nomen Patris tui, qui est princi-

pium et finis, Dominator et rex omnium, qui lucem inhabitat inaccessibilem, cui nullus similis est et quem nemo superare potest. Attamen instauratur verbum malitiæ: similis ero Altissimo; eritis sicut dii scientes bonum et malum. In hoc, verbum verum est quod humilitate te prosequendo in forma servi, consortes fiamus divinæ naturæ per quam vere tu, Deus, etiam nunc dicis: Ecce Adam sicut unus ex nobis factus est.

IV. — Oratio.

Domine, in virtute tua lætabitur servus tuus et super salutare tuum exultabit vehementer. Juxta enim es iis qui tribulato sunt corde et humiles spiritu salvabis. Disperge superbos in furore tuo, et respiciens omnem arrogantem humilia; respice cunctos superbos et confunde eos et contere impios in loco suo. Sit spiritus tuus, Domine, hæreditas mea: ecce in simplicitate loquar ad te, humiliabo spiritum meum, efficiar sicut parvulus ut intrem in regnum cœlorum. Pone lacrymas meas in conspectu tuo: in quacunque die invocavero te, exaudi me; nam respicis in oratione humilium et non spernis precem eorum.

Quoniam humiliata est in pulvere anima nostra, exsurge, Domine, adjuva nos, et redime nos propter nomen tuum. Ne sinas in me minimum superbiæ fermentum, ne iterum tota massa mea corrumpatur. Respice de sanctuario tuo et de excelso cœlorum habitaculo et benedic servulo tuo; audi gemitus compeditorum, solve filios interemptorum, ut annuntient in Sion nomen tuum et laudem tuam in Jerusalem. Da nobis cor unum et spiritum novum tribue in visceribus nostris, et aufer cor lapideum de carne nostra et da nobis carneum.

TITULUS XV.

JESUS: AMATOR CASTITATIS

I. — Adoratio.

Agnus sine macula adstat nobis, occisus a constitutione mundi ut sibi formaret sponsam non habentem maculam neque rugam; ipse est pontifex in æternum secundum ordinem Melchisedech, sanctus, innocens, impollutus, segregatus a

peccatoribus et excelsior cœlis factus. Coram Agno qui pascitur inter lilia, afferte vestem nuptialem, ut ad ejus nuptias admittamini; coram pontifice qui jam ultra non moritur quique sempiternum habet sacerdotium, afferatis hostiam vivam, sanctam, Deo placentem, etenim domum Dei decet sanctitudo; quæ domus vos estis. An nescitis quia corpora vestra templa sunt Spiritus Sancti? Qui adhæret Domino unus spiritus est.

Quis ascendet in montem Domini? aut quis stabit in loco sancto ejus? Innocens manibus et mundo corde, qui non accepit in vanum animam suam. Vere locus ejus sanctus est et ego nesciebam; tollam calceamenta de pedibus meis nam terra in qua ambulo terra sancta est; non est hic aliud nisi domus Dei et porta cœli. Domine, dilexi decorem domus tuæ et locum habitationis gloriæ tuæ; decorem templi manufacti id est hujus creationis, sed scio quia Deus æmulator es et zelas nimis decorem domus spiritalis, domus sanctificationis tuæ. Quid enim sunt domus quas ædificant tibi homines? quis est locus requiei tuæ? Zelus domus tuæ non manufactæ comedit te, ideoque torcular calcasti solus ut formares tibi gentem sanctam, regale sacerdotium.

II. — Gratiarum actio.

Beati mundo corde quoniam ipsi Deum videbunt! Amantissimus Domini habitabit confidenter; quasi in thalamo tota die morabitur et inter humeros illius requiescet. Mortificatio membrorum quæ sunt super terram holocaustum est et oblatio suavissimi odoris Domino. O quam pulchra est casta generatio cum claritate! immortalis est enim memoria illius, quoniam et apud Deum nota est et apud homines! Beati qui ad nuptias Agni admissi sunt! Soli enim qui recti sunt et casti habitabunt *in terra hac*, et simplices permanebunt in ea, videlicet qui in simplicitate cordis sui et munditia manuum suarum operantur: hi enim mites sunt de quibus: Beati mites quoniam ipsi possidebunt *terram*.

Non est nobis colluctatio tantum adversus carnem et sanguinem sed contra mundi rectores, spiritus tenebrarum harum; nos autem vires deficiunt et pane indigemus ad vivendum. Nisi Dominus adjuvaret nos fortitudine cibi sui paulo minus habitasset in inferno anima nostra quæ sicut laqueo capta est, semperque circumdata leonibus præparatis ad escam,

quærentibus quem devorent. Deus refugium factus est nobis et in locum munitum; quis mihi dabit pennas ut columbæ et volabo et requiescam? Qui facit angelos suos spiritus dedit et nobis aquilæ pennas, nam ubi fuerit corpus ibi congregabuntur et aquilæ. Locum requiei nostræ in altis posuit Dominus, in foraminibus petræ, in caverna maceriæ in qua aspicimus quem transfiximus. Columba quæ mittitur a Noe ab ista arca illuc revertitur quia non invenit ubi ponat pedes suos; atque ab extensa manu capi se sinit ut vivere possit. Quam bonus Dominus qui nos eripuit a luto fæcis, et pane angelorum, grandium atque fortium nos sustentat!

III. — Propitiatio.

Corrupti sunt et abominabiles facti sunt in studiis suis; non est qui faciat bonum, non est usque ad unum. Quæ sursum sunt quæramus, quæ sursum sunt sapiamus, non quæ super terram; conversatio nostra in cœlis sit, mortificemus membra nostra quæ sunt super terram ut lavemus inter innocentes manus nostras et circumdemus altare Domini, ne audiamus dicentem: Recedite, polluti,

ST. ALBERT'S COLLEGE LIBRARY

recedite, abite, nolite tangere; nolite dare sanctum canibus, neque mittatis margaritas meas ante porcos; nam omne quod reptat super terram, abominabile erit. Templum enim sanctum est, quod estis vos; an nescitis quoniam membra vestra templum sunt Spiritus Sancti, qui in vobis est, quem habetis a Deo, et non estis vestri?

Obstupescite, cœli, super hoc, et desolamini vehementer, dicit Dominus. Duo enim mala fecit populus meus: Me dereliquerunt fontem aquæ vivæ, et foderunt sibi cisternas, cisternas dissipatas, quæ continere non valent aquas. Saturavi eos et mœchati sunt, et in domo meretricis luxuriabantur. Dicetur ministris sanctuarii, angelis Testamenti: Transite per mediam civitatem, in medio Jerusalem et signate *Thau* super frontes virorum gementium et dolentium super cunctis abominationibus quæ fiunt in medio ejus; omnia enim munda mundis, coinquinatis autem et infidelibus nihil est mundum: non intrabit autem in domum Domini aliquod coinquinatum aut abominationem faciens.

Audio et timor quem timebam evenit mihi; et quod verebar, accidit; si enim justificare me voluero, os meum condem-

nabit me, si innocentem ostendero pravum me comprobabit. Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis hujus? Si laveris te nitro et multiplicaveris tibi herbam borith, maculata es in iniquitate tua coram me, dicit Dominus Deus. Propter malitiam studiorum vestrorum et propter abominationes quas fecistis, facta est terra vestra in desolationem, et in stuporem et in maledictum. Pavete ad sanctuarium meum; foris canes, et venefici, et impudici, et homicidæ, et idolis servientes, et omnis qui amat et facit mendacium. Et erit in die hostiæ Domini, visitabo super omnes qui induti sunt veste peregrina, qui complent domum Domini Dei sui iniquitate et dolo; scrutabor Jerusalem in lucernis, visitabo super viros defixos in fæcibus suis.

Scio quia si dixerimus quoniam peccatum non habemus, ipsi nos seducimus, et veritas in nobis non est.

IV. — Oratio.

Domine, averte faciem tuam a peccatis meis et omnes iniquitates meas dele; cor mundum crea in me, Deus, et spiritum rectum innova in visceribus meis. Mi-

serere mei, Deus, et libera me de ore leonis, infirmitati meæ insidiantis, atque a meipso salvum me fac, neque tradas me carni irreverenti et infrunitæ. Da ut psallam et intelligam in via immaculata, quando venies ad me; da ut perambulem in innocentia cordis mei, in medio domus tuæ. Dixisti enim: Oculi mei ad fideles terræ: ambulans in via immaculata, hic mihi ministrabit. Cor meum et caro mea exultent in te solum, Deus vivens! Miserere mei, tu qui scis quia homo de terra terrenus infixus est in limo profundi, miserere quia multi bellantes adversus me et cor meum derelinquit me. Quidquid obtulero sacrificii fac ut sale condiam et in omni oblatione mea offeram sal, sicut scriptum est; sal autem non infatuatum, neque sterquilinio dignum. Dilexi enim decorem domus tuæ et locum habitationis gloriæ tuæ; fac ut pes meus stet in directo et in ecclesiis benedicam te, Domine.

TITULUS XVI.

JESUS: AMATOR NOSTER

I. — Adoratio.

Ignis consumens Deus noster; ignis vero nunquam dicit: Sufficit. Propterea, cum dilexisset suos qui erant in mundo, in finem dilexit eos, ita ut vere charitas Christi urgeat nos et aperiat intelligentias nostras ut possimus comprehendere cum omnibus sanctis quæ sit latitudo et longitudo, et sublimitas et profundum; scire etiam supereminentem scientiæ charitatem Christi, ut impleamur in omnem plenitudinem Dei. Nunc enim factum est verbum illud: Ponam tabernaculum meum in medio vestri, et non abjiciet vos anima mea; ambulabo inter vos, et ero Deus vester, vosque eritis populus meus.

Venite et videte opera Domini, quæ posuit prodigia super terram: memoriam fecit mirabilium suorum misericors et miserator Dominus, escam dedit timentibus se; nam nisi signa et prodigia viderimus non credimus nos filii Evæ.

Sic autem Deus dilexit mundum ut Filium suum unigenitum daret; in charitate perpetua dilexit nos, ideo attraxit nos miserans et sponsat nos sibi in sempiternum, et sponsat nos sibi in justitia, et judicio, et in misericordia et in miserationibus, necnon in funiculis Adam trahit nos, in vinculis charitatis. Sicut mater, ait, unicum amat filium suum, ita ego te diligebam; numquid potest mater oblivisci fructus ventris sui? et si illa oblita fuerit, ego tamen non obliviscar tui.

Magnus Dominus et laudabilis nimis et magnitudinis ejus non est finis, excelsus et immensus.

II. — Gratiarum actio.

Domine, quid est homo quia magnificas eum? aut quid apponis erga eum cor tuum? Notam fecisti in gentibus misericordiam tuam, notum fecisti, Domine, salutare tuum; in conspectu gentium revelasti justitiam tuam. Salvabit sibi dextera tua et brachium sanctum tuum, recordaberis ex hoc nunc et usque in sæculum misericordiæ tuæ et charitatis tuæ domui Israel.

Jubilate Deo, omnis terra, cantate et exultate et psallite; psallite Domino in

cithara, cantate ei canticum novum quia mirabilia fecit et ostendit suavitatem quam habet in filios qui concupiscentes escam propter ea quæ illis ostensa et missa sunt, etiam a necessaria concupiscentia averterentur. Repletur os meum laude, ut cantem gloriam tuam, tota die magnitudinem tuam; benedictus sis in templo sancto gloriæ tuæ, in throno regni tui, et superlaudabilis et superglorioosus in sæcula, nam in hoc est perfecta charitas tua nobiscum et vere dives es in misericordia propter nimiam charitatem qua dilexisti nos.

Fidelis Dominus in omnibus verbis suis et sanctus in omnibus operibus suis, escam dedit timentibus se et hæc est requies ejus in sæculum sæculi; hic habitabit quoniam elegit eam. Sciens enim dolorem nostrum descendit ut liberaret nos de manibus Ægyptiorum et educeret de terra in terram bonam et spatiosam quæ fluit lacte et melle. Quid retribuam tibi, Domine, pro omnibus quæ retribuisti mihi? tu es spes mea et portio mea in terra viventium, tu qui non dicis nos servos sed amicos: amico fideli nulla est comparatio, et non est digna ponderatio auri et argenti contra bonitatem fidei illius. Amicus fidelis, protectio for-

tis; qui autem invenit illum, invenit thesaurum. Ubi autem est thesaurus noster ibi et cor nostrum erit; beatus qui invenit amicum verum!

III. — Propitiatio.

Si quis non amat Dominum Jesum Christum anathema sit; veritatem dico in Christo, non mentior, testimonium mihi perhibente conscientia mea in Spiritu Sancto: quoniam tristitia mihi magna est et continuus dolor cordi meo. Optabam enim ego ipse anathema esse a Christo pro fratribus meis, qui sunt cognati mei secundum carnem. Etenim vox clamat etiam nunc in deserto: Non vultis venire ad me ut vitam habeatis; claritatem ab hominibus non accipio, sed cognovi vos quia dilectionem Dei non habetis in vobis; ego veni in nomine Patris mei, et non accepistis me: et si alius venerit in nomine meo, illum accipietis. Quoniam autem abundavit iniquitas, refrigescit charitas multorum.

Nos vero diligamus Deum, quoniam prior dilexit nos; abjiciamus opera tenebrarum et induamur arma lucis. Ecce immolata est victima, mixtum est vinum et proposita mensa; venite omnes, jam

nolite tardare. Nemo vos judicet in cibo aut in potu, quinimo eamus et nos ut epulemur cum Jesu; epulemur autem non in fermento veteri, neque in fermento malitiæ et nequitiæ, sed in azymis sinceritatis et veritatis. Comedite et bibite et inebriamini, carissimi, et de cætero nihil solliciti sitis: sed in omni oratione et obsecratione, cum gratiarum actione, petitiones vestræ innotescant apud Deum. Non enim dedit nobis spiritum timoris, sed virtutis, et dilectionis et sobrietatis.

IV. — Oratio.

Et nunc, Domine, miserere populi tui, quia volunt nos inimici nostri perdere, et hæreditatem tuam delere; ne despicias partem tuam quam redemisti tibi; audi clamorem hujus populi et aperi eis thesaurum tuum, fontem aquæ vivæ, ut, satiati, cesset murmuratio eorum.

Ecce quem amas infirmatur; anima mea desideravit te in nocte, sed et spiritu meo in præcordiis meis, de mane vigilabo ad te. In semita judiciorum tuorum, Domine, sustinui te; nomen tuum et memoriale tuum in desiderio animæ meæ et nunc absit mihi gloriari nisi in cruce tua, Domine Jesu Christe, per quem mihi

mundus crucifixus est et ego mundo: ego vinctus tuus, ego vinctus in Domino. Quid est mihi in cœlo et a te quid volo? Omnia a te exspecto, in te jacio sollicitudinem meam quoniam tibi cura est de nobis, tu qui es testis fidelis, primogenitus mortuorum et princeps regum terræ, qui dilexisti nos et lavisti nos a peccatis in sanguine tuo et fecisti nos regnum et sacerdotes Deo et Patri tuo: tibi gloria et imperium. Emitte illum ignem quem venisti mittere in terram, expandi adhuc manus tuas ad populum non credentem et contradicentem, congregare adhuc studeas filios hominum sicut gallina congregat pullos suos; qui mittis crystallum tuum sicut buccellam; a facie frigoris ejus quis sustinebit? emitte spiritum tuum et liquefacies eum, flabit spiritus tuus et fluent aquæ. Ecce enim refrigescit charitas multorum et nolunt intelligere ut bene agant. Domine, quando respicies? ne tradas bestiis animas confitentium tibi et ne claudas ora te canentium.

TITULUS XVII.

JESUS: DEUS PACIS

I. — Adoratio.

Vocabitur nomen ejus Princeps pacis. Magnum nomen et superexaltatum, et superlaudabile in omnibus sæculis; sit nomen Domini benedictum, ex hoc nunc et usque in sæculum: a solis ortu usque ad occasum, laudabile nomen Domini. Veritas de terra orta est et justitia de cœlo prospexit, justitia et pax osculatæ sunt. Etenim roraverunt cœli desuper et nubes pluerunt justum, terra sancta genuit salvatorem, orta est stella ex Jacob, germinavit virga Jesse, princeps pacis venit in terram cujus potestas super humerum ejus, venit desideratus cunctis gentibus et erit iste Pax.

Militia est vita hominis super terram, et sicut dies mercenarii, dies ejus; mercenarius est peccati, operarius iniquitatis, minister mendacii, nam omnis homo mendax. Venit ergo veritas ut liberaret nos, venit lux ut in tenebris luceret et pacem secum adduceret, attamen non

in commotione Dominus nec auditur vox ejus in platea. Vanum est nobis ante lucem surgere; surgamus postquam sederimus et operemur pacem; etenim dixit impius: pax! pax! et non erat pax quia vita in voluntate Domini et requies in sinu ejus.

Quis est locus requiei mei? nonne Dominus? ab ipso enim salutare meum; ipse Deus meus et confitebor illi, adorabo in loco sancto ejus et in loco isto dabit pacem eritque gloria ejus magna. Non confundemini neque erubescetis omnes qui speratis in Domino, quia fidelis Dominus in omnibus verbis suis et sanctus in omnibus operibus suis et prope est iis qui sperant in eum.

II. — Gratiarum actio.

Lauda, terra sterilis, quæ non paris, decanta laudem et hymnos quæ non pariebas; ad punctum in modico dereliqui te, in momento indignationis abscondi faciem parumper a te, et in misericordia sempiterna misertus sum tui, dicit Dominus Redemptor tuus.

Pauper sum ego et in laboribus a juventute mea, habui menses vacuos et noctes laboriosas enumeravi mihi, flu-

ctus tuos induxisti super me; attamen in pace in teipsum dormiam et requiescam quia ipsi cura est de nobis, nec cadet folia in terram sine Patre nostro. Convertisti planctum meum in gaudium mihi, conscidisti saccum meum et circumdedisti me lætitia, factus est in pace locus tuus et habitatio tua in Sion. Hæc est requies mea, hic habitabo quoniam elegi eam; non enim habet amaritudinem conversatio tua nec tædium convictus tuus sed lætitiam et gaudium.

Introibo ergo in domum tuam et adorabo ad templum sanctum tuum, etenim dilexi quoniam exaudies vocem orationis meæ; ipse es pax nostra qui fecisti utraque unum, et medium parietem maceriæ solvens, murum æneum inter cœlum et terram consurgentem virtute tua diruisti; chaos hoc magnum quod inter Te et hominem firmatum erat, bonitate tua destruxisti: in teipso transgrediar murum et chaos. Audiam quid loquaris in me, Domine Deus, quoniam loqueris pacem in plebem tuam.

Beati omnes qui diligunt te, Domine, et qui gaudent super pace tua! Possident enim omnia bona in terra viventium, cum non aliud bonum nobis reliqueris præter pacem in quo sunt omnia bona;

venerunt omnia hæc pariter cum illa cum dixisti: pacem relinquo vobis, pacem meam do vobis. Scio quod pacem habeat tabernaculum tuum; beati qui habitant in domo tua, Domine, in sæcula sæculorum laudabunt te.

III. — Propitiatio.

Non est pax impiis, dicit Dominus Deus; cor impii quasi mare fervens quod quiescere non potest, ideoque conturbatæ sunt gentes et inclinata sunt regna, reges terræ conturbati sunt, commoti sunt, tremor apprehendit eos.

Habitabo, ait Dominus, in medio filiorum Israel; sed medius illorum stat quem ipsi nesciunt. Num multos numerabis qui veniant et quærant misericordiam a facie Dei cœli super sacramento isto? Filii hominum usquequo gravi corde? ut quid diligitis vanitatem et quæritis mendacium? Populе meus, quid feci tibi, aut quid molestus fui tibi? responde mihi. Dereliquerunt me fontem aquæ vivæ et foderunt sibi cisternas dissipatas quæ continere non valent aquas, dum justi epulantur et exultant in conspectu Domini et delectantur in lætitia, nam mirabilis Deus in sanctis suis qui eligunt

abjectos esse in domo Dei sui magis quam habitare in tabernaculis peccatorum in quibus pax non erit.

Dominus autem dat pacem sed nullus peccator recipit et pax ad eum revertitur quia non requiescit nisi super filios pacis.

Diligite Dominum et nihil de cætero solliciti sitis; quid turbamini erga plurima? Qui diligit, legem implevit: Jesus pax est; circui quærens eum ut illum tibi assumas, intra in domum ejus et conquiesce cum illo, dum peccatores obturant aures sicut aspis surda ne audiant promissa. Hæc dicit Dominus: ecce ego declinabo quasi fluvium pacis, et quasi torrentem inundantem, ut sugatis, et repleamini ab ubere consolationis ejus; ut mulgeatis et deliciis affluatis ab omnimoda gloria ejus. Et pascentur primogeniti pauperum et pauperes fiducialiter requiescent.

IV. — Oratio.

Fiat pax in virtute tua, glorifica manum et brachium dextrum tuum ut electi tui fideles inveniantur; conserves nos et vivifices nos et beatos nos facias in terra et non tradas nos in animam inimi-

corum nostrorum. Esto, Domine, fortitudo nostra in tempore tribulationis et ne despicias partem hæreditatis tuæ quam redemisti, ostende nobis misericordiam tuam, pone fines nostros pacem et adipe frumenti satia nos semper cunctis diebus vitæ nostræ ut in fortitudine cibi istius ambulemus usque ad montem sanctum tuum, Jerusalem novam.

Lauda, filia Sion, jubila Israel, lætare et exulta in omni corde, filia Jerusalem, lauda et lætare, anima mea, quia pax tua prope est, solvens inimicitias in carne sua. Dominus Deus in medio tui fortis, ipse salvabit; gaudebit super te in lætitia, silebit in dilectione sua, exultabit super te in laude.

TITULUS XVIII.

JESUS: AUCTOR VITÆ

I. — Adoratio.

En coram nobis fluvium aquæ vitæ, splendidum tamquam crystallum, procedentem de sede Dei et Agni. Sicut per unum hominem peccatum in hunc mun-

dum intravit, et per peccatum mors, et ita in omnes homines mors pertransiit, in quo omnes peccaverunt. Christus pro nobis mortuus est: multo magis nunc justificati in sanguine ipsius, salvi erimus ab ira per ipsum; si enim, cum inimici essemus reconciliati sumus Deo per mortem Filii ejus: multo magis reconciliati, salvi erimus in vita ipsius. Sicut enim per inobedientiam unius hominis, peccatores constituti sunt multi, ita et per unius obeditionem, justi constituentur multi: quia in ipso vita erat, et vita erat lux hominum et lux in tenebris lucet et tenebræ eam non comprehenderunt. Ipse est qui de seipso dixit: Ego sum panis vitæ: qui venit ad me, non esuriet, et qui credit in me non sitiet unquam; ego veni ut vitam habeant et abundantius habeant; ego sum pastor bonus; bonus pastor animam suam dat pro ovibus suis; nisi manducaveritis carnem filii hominis et biberitis ejus sanguinem non habebitis vitam in vobis; ego sum via, veritas et vita.

Auctorem vitæ interfecimus manibus filiorum Israel; ipse autem resurrexit ut spes nostra in cœlis esset, sicut mortuus est ut ii pro quibus mortuus est, jam non sibi vivant sed ei; etenim si

unus pro omnibus mortuus est, ergo omnes mortui sunt in illo et per illum. En fons vitæ! in ipso enim vivimus et movemur et sumus!

II. — Gratiarum actio.

Sic Deus dilexit mundum ut Filium suum unigenitum daret; ut omnis qui credit in eum non pereat sed habeat vitam æternam. Gratias Deo super inenarrabili dono ejus! Venite, comedite panem meum et bibite vinum quod miscuit vobis; relinquite infantiam et vivite; attamen nisi efficiamini sicut parvuli non intrabitis in regnum cœlorum, quia si vultis ad vitam intrare, servanda sunt vobis mandata. Ecce ad hoc misit Deus Spiritum Filii sui in corda nostra in quo clamamus; Abba, Pater, ut filiorum adoptionem reciperemus et vita ejus vivamus semper.

Cœli distillaverunt a facie Dei Sinai, a facie Dei Jacob; nunc autem pluviam voluntariam segregat Deus hæreditati suæ quæ non infirmatur, parat in dulcedine sua pauperi mensam adversus eos qui tribulant eum, constituit nos in monte suo, qui mons Dei est, mons pinguis, mons coagulatus, in quo beneplacitum

est Deo habitare in eo et habitabit in finem. Dat nobis de carnibus suis ut saturemur, dabitque virtutem et fortitudinem plebi suæ; in hoc enim cognoscimus quoniam in eo manemus, et ipse in nobis, quoniam de spiritu suo dedit nobis. Ipsum enim manducantes participes Christi effecti sumus, si tamen initium substantiæ ejus usque ad finem firmum retineamus. Mortui enim sumus et vita nostra est abscondita cum Christo in Deo; cum Christus apparuerit vita nostra, tunc et nos apparebimus cum ipso in gloria.

III. — Propitiatio.

Testes invocat Deus cœlum et terram, quod proposuerit nobis vitam et mortem, benedictionem et maledictionem; eligamus ergo vitam ut et nos vivamus. Omnes qui eum derelinquunt confundentur; recedentes ab eo in terra scribentur quoniam dereliquerunt venam aquarum viventium. Aliis quidem odor est mortis in mortem, aliis autem odor vitæ in vitam, nam venit Jesus in mundum positusque est in signum cui contradicetur, eritque in ruinam et in resurrectionem multorum.

Usquequo, Domine, manducabo panem cum luctu et cum tremore? quandonam mihi vivere Christus erit et mori lucrum? Attamen attenuati sunt oculi mei, suspicientes in excelsum, nec potui ut viderem. Sæpe sæpius obtenebrata est mens mea, laboro in gemitu meo, lavo per singulas noctes lectum meum, lacrymis meis stratum meum rigo, et anima mea turbata est valde: sed tu, Domine, usquequo? Quid me vis facere? quid faciendo vitam æternam possidebo?

Appropinquate Deo et appropinquabit vobis; emundate manus, peccatores, et purificate corda, duplices animo. Justus iste de quo dictum est: Et justificabit ipse servus meus multos; pro vobis orabit ad Dominum et multum valet deprecatio ejus. Appropinquate, humiles et contriti corde; emundabit et vivificabit vos sanguine: omnia enim in sanguine secundum legem mundantur et sine sanguinis effusione non fit remissio. Hæc porta Domini, hæc janua cœli; sed quibus juravit non introire in requiem ipsius, nisi illis qui increduli fuerunt, et noluerunt ad eum venire ut vitam habeant?

IV. — Oratio.

Ego autem expandi manus meas ad te; memor fui dierum antiquorum, meditatus sum in omnibus operibus tuis, in factis manuum tuarum meditabar. Omnem escam abominata est anima mea, non communicabo cum filiis tenebrarum et tu adjuvabis pauperem de inopia. Miserere mei, Domine, quoniam infirmus sum; sana me, Domine, quoniam conturbata sunt ossa mea, et anima mea turbata est valde: non est in morte qui memor sit tui: in inferno autem quis confitebitur tibi? Fiat misericordia tua, Domine, super nos, quemadmodum speravimus in te; tu solus es spes mea, firmamentum meum. Infixus sum in limo profundi, veni in altitudinem maris et tempestas demersit me: salvum me fac, Deus, quoniam intraverunt aquæ usque ad animam meam. Exaudi, Domine, vocem deprecationis meæ dum oro ad te, dum extollo manus meas ad templum sanctum tuum. Ne simul trahas me cum peccatoribus et cum operantibus iniquitatem ne perdas me. Benedictus es, Domine, quoniam exaudisti vocem deprecationis meæ, adjutor meus es et protector meus; in te ipso speravit cor meum et

adjutus sum quoniam fortitudo plebis tuæ et protector salvationum Christi tui es. Salvum fac populum tuum, Domine, et benedic hæreditati tuæ, et rege eos et extolle illos usque in æternum.

TITULUS XIX.

JESUS : EXEMPLAR VIRTUTUM

I. — Adoratio.

Attollite portas, principes, vestras, et elevamini portæ æternales et introibit Rex gloriæ. Quis est iste Rex gloriæ? Dominus fortis et potens, Dominus potens in prælio. Attollite portas, principes, vestras, et elevamini portæ æternales et introibit Rex gloriæ. Quis est iste Rex gloriæ? Dominus virtutum ipse est Rex gloriæ.

Inspice ergo et fac secundum exemplar quod tibi in monte monstratum est, leva oculos tuos ad eum qui habitat in tabernaculo ut doceat omnes gentes: non sunt loquelæ neque sermones quibus non audiatur vox ejus, in omnemque terram exivit sonus ejus et in fines

orbis terræ verba ejus. Non enim descendit de cœlo ut faceret voluntatem suam, sed voluntatem ejus qui misit eum; propterea exultavit ut gigas ad currendam viam suam; a summo cœlo egressio ejus cum dixit: Ecce ego mitte me, in capite libri scriptum est de me ut facerem voluntatem tuam. Et occursus ejus usque ad summum cœlum, nam qui diligit, legem implevit cum non diligit lingua neque verbo sed opere et veritate; nec est qui se abscondat a calore ejus, quoniam ut sciret mundus quia diligit Patrem, surrexit et ivit ad locum Getsemani postquam dilexisset suos in finem. Per eum lex Domini immaculata, convertens animam, et testimonium Domini fidele est, sapientiam præstans parvulis; ipse enim est via et veritas et vita, et intellectum dat eis cum abscondit occulta et incerta sapientiæ suæ sapientibus et prudentibus.

II. — Gratiarum actio.

Qui sequitur te, Domine, non ambulat in tenebris sed habebit lumen vitæ; ecce enim lux in tenebris lucet et lux est vita hominum. Tu autem Deus noster, suavis et verus es, patiens, et in

misericordia disponens omnia. Etenim si peccaverimus, tui sumus, scientes magnitudinem tuam: et si non peccaverimus, scimus quoniam apud te sumus computati. Nosse enim te, consummata justitia est, et scire justitiam et virtutem tuam, radix est immortalitatis. Cum sis justus, juste omnia disponis; virtus enim tua, justitiæ initium est et ob hoc quod omnium Dominus es, omnibus te parcere facis. Virtutem enim ostendis tu, qui non crederis esse in virtute consummatus et horum, qui te nesciunt, audaciam traducis. Tu autem dominator virtutis cum tranquillitate judicas, et cum magna reverentia disponis nos: subest enim tibi, cum volueris, posse. Docuisti autem populum tuum per talia opera, quoniam oportet justum esse et humanum, et bonæ spei fecisti filium tuum: quoniam judicans das locum in peccatis pœnitentiæ. Si enim inimicos servorum tuorum, et debitos morti, cum tanta cruciasti attentione, dans tempus et locum per quæ possent mutari a malitia; cum quanta diligentia judicasti filios tuos, quorum parentibus juramenta et conventiones dedisti bonarum promissionum? Cum ergo das nobis disciplinam, inimicos nostros multipliciter flagellas,

ut bonitatem tuam cogitemus judicantes, et cum de nobis judicatur, speremus misericordiam tuam.

Virtus autem in infirmitate perficitur: libenter igitur gloriabor in infirmitatibus meis, ut inhabitet in me virtus Christi.

III. — Propitiatio.

Audite verbum Domini, qui ingredimini per portas has, ut adoretis Dominum: bonas facite vias vestras et studia vestra, et habitabo vobiscum in loco isto.

Deus meus, terribilibus oculis me intuitus es; verebar autem omnia opera mea, sciens quod non parceres delinquenti. Facta sunt desideria mea velut fœnum agri et virens herba tectorum quæ arefacta est antequam veniret ad maturitatem, nubes sine aqua, quæ a ventis circumferuntur; arbores autumnales, infructuosæ, bis mortuæ, eradicatæ; fructus feri maris, despumantes suas confusiones, sidera errantia, quibus procella tenebrarum servata est.

Ecce præco inclamat: Si quis non vult operari, nec manducet. Etenim vincenti datur edere de ligno vitæ, nec est Deus mortuorum sed vivorum. De cætero, fratres, quæcumque sunt vera, quæcumque

pudica, quæcumque justa, quæcumque sancta, quæcumque amabilia, quæcumque bonæ famæ, si qua virtus, si qua laus disciplinæ, hæc cogitate. Induite vos, sicut electi Dei, sancti et dilecti, viscera misericordiæ, benignitatem, humilitatem, modestiam, patientiam; supportantes invicem et donantes vobismetipsis, si quis adversus aliquem habet querelam, sicut et Dominus donavit vobis; super omnia autem charitatem habete, quod est vinculum perfectionis. In hoc autem cognoscent omnes quia discipuli Christi sumus, si dilectionem habuerimus ad invicem, si respicientes exemplar didicerimus quia mitis est et humilis corde magister. Domum superborum demolietur Dominus: et firmos faciet terminos viduæ; abominatio Domini cogitationes malæ, et purus sermo pulcherrimus firmabitur ab eo. Per misericordiam et fidem purgantur peccata; per timorem autem Domini declinat omnis a malo.

IV. — Oratio.

Ad te levavi oculos meos qui habitas in cœlis, in templo sancto gloriæ tuæ; tu es refugium meum a tribulatione quæ circumdedit me, exultatio mea, erue me

a circumdantibus me. Domine Deus virtutum, respice in orationem servi tui, consilium malignantium obsedit me, infirmata est in paupertate virtus mea et caro concupiscit adversum spiritum, sed sufficit mihi gratia tua. Mundus totus in maligno positus est sed mundum ipse vicisti; circuit diabolus quærens quem devoret sed tu principem hujus mundi ejecisti foras. Considera et tu dolores nostros, memorare quæ nostra substantia, quod figmentum nostrum, tu qui didicisti ex his quæ passus es obedientiam, qui condolere possis iis qui ignorant et errant, quoniam et ipse circumdatus es infirmitate.

Domine, si vis potes me mundare; libera me a persequentibus me quia confortati sunt super me, eripe me de operantibus iniquitatem, doce me facere voluntatem tuam. Deus patrum meorum et Domine misericordiæ, qui fecisti omnia verbo tuo et sapientia tua constituisti hominem, ut dominaretur creaturæ, quæ a te facta est, ut disponat orbem terrarum in æquitate et justitia, et in directione cordis judicium judicet: da mihi sedium tuarum assistricem sapientiam et noli me reprobare a pueris tuis, quoniam servus tuus sum ego et filius ancillæ

tuæ, homo infirmus et exigui temporis et minor ad intellectum judicii et legum. Nam et si quis erit consummatus inter filios hominum, si ab illo abfuerit sapientia tua, in nihilum computabitur.

TITULUS XX.

JESUS : ZELATOR ANIMARUM

I. — Adoratio.

Dignus es, Domine, quoniam occisus es et redemisti nos in sanguine tuo ex omni tribu et lingua et populo et natione. Zelus domus Patris tui comedit te et ignis consummavit holocaustum tuum. Agnus vocaris occisus a constitutione mundi et Verbum es caro factum ad currendam ut gigas viam tuam ad salvandas gentes, ad liberandum nos. Ignem venisti mittere in terram et quid vis nisi ut accendatur? Etiam nunc quomodo coarctaris usque dum baptismo baptizeris in corpore tuo quod est Ecclesia, quæ de aperto latere tui ipsius dormientis exivit, non habens rugam neque maculam? Desiderio desideras quotidie manducare nobiscum Pascha ut aperiantur

oculi nostri in viam salutis, et ut abnegantes sæcularia desideria sobrie, juste et pie vivamus in hoc sæculo exspectantes beatam spem et adventum tuum, Summe Rex Jesu Christe.

Dignus es, Agnus Dei, accipere librum et aperire signacula ejus, quoniam occisus es et redemisti nos Deo in sanguine tuo; dignus es, Agnus Dei, qui occisus es, accipere virtutem et divinitatem et sapientiam et fortitudinem et honorem et gloriam et benedictionem. Aquæ multæ non potuerunt extinguere charitatem tuam nec flumina obruerunt illam; venisti in altitudinem maris et tempestas demersit te sed quia de torrente in via bibisti propterea exaltasti caput et destruxisti imperium mortis. Potens es, Domine, et quis resistet tibi? sapientia tua attingit a fine usque ad finem fortiter suaviterque disponens omnia, Domine, Dominus noster, quam admirabile est nomen tuum! Omnia in sapientia fecisti, impleta est terra possessione tua!

II. — Gratiarum actio.

Loquere, Domine, ut laudem et gloriam tuam dicam sentiamque de te in bonitate: Convenite, properate, concurrite undique

ad victimam meam, quam ego immolo vobis, victimam grandem super montes Israel, ut comedatis carnem et bibatis sanguinem; comedite, filii mei, mel meum, quia bonum est et favum dulcissimum gutturi vestro.

Ecce, Domine, adsumus, quia est fons patens domui David et habitantibus Jerusalem in ablutionem peccatorum: exeunt aquæ vivæ de Jerusalem, in æstate et in hieme erunt: ecce, convenimus, properamus, concurrimus et saturabimur super mensam tuam, nam stas ad ostium et pulsas: si quis audierit vocem tuam et aperuerit tibi januam, intrabis ad illum et cœnabis cum illo et ipse tecum. Beati qui ad cœnam tuam admissi sunt! beati qui ad cœnam nuptiarum Agni vocati sunt.

Ecce transimus ad te, omnes qui concupiscimus te et a generationibus tuis implemur; in te gratia omnis viæ et veritatis, in te omnis spes vitæ et virtutis. Quam magnam dulcedinem bonitatis tuæ, Domine, quam abscondisti timentibus te! abscondes eos in absconditio faciei tuæ a conturbatione hominum, a sagitta volante in die, a negotio perambulante in tenebris, ab incursu et dæmonio meridiano. Oculi tui super metuentes te, et in eis qui sperant super

misericordia tua, ut eruas a morte animas eorum et alas eos in fame. Anima nostra sustinet te quoniam adjutor et protector noster es; quia in te lætabitur cor nostrum et in nomine sancto tuo speramus. Dirupisti vincula nostra, tibi sacrificabimus hostiam laudis et nomen tuum invocabimus: ecce enim comedimus adipem in saturitatem et bibimus sanguinem in ebrietatem de victima quam immolas pro nobis.

III. — Propitiatio.

Populo meus, quid feci tibi aut in quo contristavi te? responde mihi. Filios enutrivi et ipsi spreverunt me; zelo zelatus sum salutem tuam sed perditio tua ex te, Israel. Quid ultra potui facere vineæ meæ et non feci; exspectavi enim ut faceret uvam et fecit labruscas, torcular calcavi solus et non fuit vir mecum, aspiciebam a dextris et non inveni. Quam latam et spatiosam viam quæ ducit ad perditionem! Jerusalem, quoties volui congregare filios tuos quemadmodum gallina congregat pullos suos et noluisti; vocavi et renuisti; extendi tota die manus meas ad populum non credentem et contradicentem et factus sum illis

in scandalum. Lapis quem reprobaverunt ædificantes, hic factus est in caput anguli et is in quem ceciderit conteretur.

Factus es, Domine, in ruinam et resurrectionem multorum; si non venisses et locutus fuisses peccatum non haberent, nunc autem excusationem non habent a peccato suo; etenim dilexerunt homines magis tenebras quam lucem et cum in propria venisti, tui te non receperunt nec recipiunt, quinimo plagatus es in domo eorum qui diligebant te. Non sunt recordati manus tuæ, die qua redemisti eos de manu tribulantis, sed ego, Domine, memorabor misericordiæ tuæ solius et rememoratus sum quia Deus adjutor es mei et Deus excelsus Redemptor meus es. Sagittæ tuæ acutæ cum carbonibus desolatoriis; heu mihi, quia incolatus meus prolongatus est, habitavi cum habitantibus Cedar. Cum his qui oderunt pacem eram pacificus, cum loquebar illis impugnabant me gratis.

IV. — Oratio.

Auxilium meum a te, Domine, qui fecisti cœlum et terram: non des in commotionem pedem meum neque dormites qui custodis me. Domine, custodi me, sis

protectio mea super manum dexteram meam; per diem sol non urat me neque luna per noctem. Custodias me ab omni malo, custodias animam meam, zelator animarum, custodias introitum et exitum meum nam in te speravi; salvum me fac ex omnibus persequentibus me et libera me, nequando rapiat ut leo animam meam dum non est qui redimat neque qui salvum faciat. Exsurge, Domine, in ira tua et exaltare in finibus inimicorum meorum, judica me secundum justitiam meam respiciens in faciem Christi tui. Ecce enim justum adjutorium meum a te, Domine, qui salvos facis rectos corde; confitebor tibi secundum justitiam tuam et psallam nomini tuo, Altissime, confitebor tibi in ecclesia magna, in populo gravi laudabo te: non supergaudeant mihi qui adversantur mihi inique, qui oderunt me gratis et annuunt oculis.

Ne in furore tuo arguas me, neque in ira tua corripias me; quoniam sagittæ tuæ infixæ sunt mihi et confirmasti super me manum tuam. Tuus sum ego, salvum me fac et ne derelinquas hæreditatem tuam in perditionem. Quoniam in te, Domine, speravi, tu exaudies me, Domine Deus meus.

TITULUS XXI.

JESUS : DEUS NOSTER

I. — Adoratio.

Vere tu es Deus absconditus, Deus Israel salvator, vere tu es Deus.

Venite exultemus Domino, jubilemus Deo salutari nostro, præoccupemus faciem ejus in confessione, et in psalmis jubilemus ei. Adorant eum omnes Angeli ejus, incurvantur coram eo Cherubim ac Seraphim: ecce Deus noster iste, exspectavimus eum, et salvabit nos; iste Dominus, sustinuimus eum, et exultabimus et lætabimur in salutari ejus. Vere Dominus est in loco isto et ego nesciebam; quam terribile est locus iste! Dominus universorum, qui nullius indiget, voluit templum habitationis suæ fieri in nobis ut esset vere nobiscum Deus, Emmanuel.

Vere dignus es, Domine Deus noster, accipere gloriam et honorem et virtutem, quia tu creasti omnia; Domine exercituum, Deus Israel, qui sedes super Cherubim, tu es Deus solus omnium regnorum terræ. Deus meus es tu, et con-

fitebor tibi, Deus meus es tu, et exaltabo te; in velamento alarum tuarum exultabo, adhæsit anima mea post te, me suscepit dextera tua. Ego credidi quia tu es Christus filius Dei vivi qui in hunc mundum venisti; in manu tua potestas et imperium omnium, omnia in ditione tua sunt posita, nec est qui de manu tua possit eruere. Exaltabo te Deus meus rex et benedicam nomini tuo in sæculum et in sæculum sæculi; confiteantur tibi omnia opera tua et sancti tui benedicant tibi. Gloriam regni tui dicent et potentiam tuam loquentur ut notam faciant filiis hominum potentiam tuam et gloriam magnificentiæ regni tui. Regnum tuum regnum omnium sæculorum et dominatio tua in omni generatione et generationem.

II. — Gratiarum actio.

Beata gens cui Dominus Deus ejus qui sponsat eam in fide ut sciat quia ipse est Dominus et ipsa jam non vocatur derelicta. Majestatem suam ecce abscondit Deus fortis, terribilis, æmulator ut nomen accipiat Emmanuel.

Rex grandis et admiratione dignus! Estne credibile in his angustis sedibus

contineri quem nec cœlum nec cœli cœlorum ambitu suo capiunt? Gaudebo et exultabo in Deo Jesu meo, ipse enim salvum faciet populum suum a peccatis eorum. Non est enim alia natio tam grandis quæ habeat Deos appropinquantes sibi, sicut Deus noster adest cunctis obsecrationibus nostris: ecce facit Dominus exercituum cunctis populis in monte hoc convivium pinguium, convivium vindemiæ, pinguium medullatorum, vindemiæ defecatæ. Quid dignum offeram Domino? curvabo genu Deo excelso; numquid offeram ei holocautomata et vitulos anniculos? Calicem salutaris accipiam et nomen Domini invocabo! Oblatio justi impinguat altare, et odor suavitatis est in conspectu Altissimi. Ego sum, ait, ego sum Dominus, et non est absque me salvator; ego annuntiavi et salvavi, auditum feci; vos testes mei, dicit Dominus; Deus e vicino sum, et non Deus de longe. Vos autem estis templum Dei vivi, quoniam inhabitabo in vobis et inambulabo inter vos et ero vobis in Deum et ipsi eritis mihi populus.

Bonitatem tuam conspicimus, Domine, memoresque sumus multitudinis misericordiæ tuæ; in te cognoscimus et confitemur Deum cœli qui fecisti mare et

aridam, qui dixisti: Ego Dominus, et non est alter. Misereris omnium, quia omnia potes, et dissimulas peccata hominum propter pœnitentiam. Diligis enim omnia quæ sunt, et nihil odisti eorum quæ fecisti: nec enim odiens aliquid constituisti, aut fecisti. Quomodo autem posset aliquid permanere nisi tu voluisses? aut quod a te vocatum non esset conservaretur? Parcis autem omnibus quoniam tua sunt, Domine, qui amas animas.

III. — Propitiatio.

Videte quod ego sim solus et non sit alius præter me; ego occidam et ego vivere faciam, percutiam et ego sanabo et non est qui de manu mea possit eruere.

Domine, superbia eorum qui te oderunt ascendit semper, dicitque insipiens in corde suo: Non est Deus. Deus autem noster in cœlo, et in terra es, omnia quæcumque voluisti fecisti et a nutu tuo omnia pendent; ipsi vero abominabiles facti sunt in studiis suis: non est qui faciat bonum non est usque ad unum, non est timor Dei ante oculos eorum, Dominum non invocaverunt, sepulcrum patens est guttur eorum, coagulatum est sicut lac cor eorum, et cum Dominum

colunt, diis quoque suis inserviunt, juxta consuetudinem gentium.

Sic, Deus, repulisti nos et destruxisti nos, iratus es et misertus es nobis, ostendisti populo tuo dura, potasti nos vino compunctionis dicensque nobis: Abjicite deos alienos qui in medio vestri sunt et mundamini ac mutate vestimenta vestra: ecce enim in medio vestri stetit quem vos nescitis.

Prope es, Domine, omnibus invocantibus te in veritate; voluntatem timentium te facies, deprecationem eorum exaudies et salvos facies eos. Custodis omnes diligentes te, et omnes peccatores disperdes. Etenim magnus es, Domine noster, et magna virtus tua: et sapientiæ tuæ non est numerus, suscipiens mansuetos, humilians autem peccatores usque ad terram. Beneplacitum est tibi, Domine, super timentes te et in eis qui sperant super misericordia tua.

IV. — Oratio.

Exsurge, Deus, judica causam tuam, memor esto improperiorum tuorum quæ ab insipiente sunt tota die. Deus meus, ad te de luce vigilo, sitivit in te anima mea, quam multipliciter tibi caro mea;

aperiantur, quæso, oculi tui, et aures tuæ intentæ sint ad orationem quæ fit in loco isto. Repleatur pinguedine anima mea et labiis exultationis laudabit os meum; conserva, sancte sanctorum omnium Domine, in æternum impollutam domum istam, quæ nuper mundata est. Diffunde, quæsumus, Domine, spiritum tuum in corda nostra ut consortes magis magisque efficiamur divinæ naturæ et adoptionem perfectam recipiamus filiorum tuorum. Effunde timorem tuum super gentes ut videant quia non est Deus nisi tu et non est in alio aliquo salus, neque quisquam ponere potest aliud fundamentum præterquam quod positum est.

Qui venisti ut multos fratres adduceres in gloriam, refice vires nostras ut tecum improperium tuum portantes, tecum participes efficiamur hæreditatis tuæ et vere cohæredes tui inveniamur in laudem gloriæ gratiæ tuæ. Omnes gentes quascumque fecisti veniant et adorent coram te, Domine, et glorificent nomen tuum, quoniam magnus es tu et faciens mirabilia; tu es Deus solus. Confitear tibi, Domine Deus meus, in toto corde meo, et glorificem nomen tuum in æternum.

TITULUS XXII.

JESUS : REFUGIUM NOSTRUM

I. — Adoratio.

Domine, refugium factus es nobis, a generatione in generationem; priusquam montes fierent, aut formaretur terra et orbis, a sæculo et usque in sæculum tu es Deus. Domine, in Sion magnus, et excelsus super omnes populos; susceptor meus es tu et refugium meum, ideo in te sperabo quoniam liberasti me de laqueo venantium et a verbo aspero. Etenim scapulis tuis obumbras mihi et sub pennis tuis spero; scuto circumdat me veritas tua ut non timeam a timore nocturno, a sagitta volante in die, a negotio perambulante in tenebris, ab incursu et dæmonio meridiano. Tu es, Domine, spes mea, altissimumque posuisti refugium tuum ut non accedat ad me malum et flagellum non appropinquet tabernaculo tuo. Angelis tuis mandasti de me, ut custodiant me in omnibus viis meis, ut portent me in manibus suis ne forte offendat ad lapidem pedem meum. Super aspidem et basiliscum ambulabo et con-

culcabo leonem et draconem, liberabis me quoniam speravi in te, proteges me quoniam cognovi nomen tuum. Clamabo ad te et tu exaudies me, erisque mecum in tribulatione ut eripias me et glorifices me. Delectasti me, Domine, in factura tua, et in operibus manuum tuarum exultabo: ecce enim magnificata sunt opera tua, nimis profundæ factæ sunt cogitationes tuæ. Vir insipiens non cognoscet et stultus non intelliget hæc: ecce inimici tui peribunt, dispergentur omnes qui operantur iniquitatem, tu autem Altissimus in æternum, Domine, et ego annuntiabo quoniam rectus Dominus Deus es tu et non est iniquitas in te.

II. — Gratiarum actio.

Ad te levabimus oculos nostros qui habitas in cœlis: ecce enim respicis de tabernaculo tuo ut videas si est intelligens aut requirens Deum cum non sit in alio aliquo salus, nec enim aliud nomen est sub cœlo datum hominibus in quo nos oporteat salvos fieri.

Venite omnes qui laboratis et onerati estis et ipse reficiet vos; venite adoremus et procidamus et ploremus ante Dominum qui fecit nos, quia ipse est

Dominus Deus noster, et nos populus ejus et oves pascuæ ejus quibus patens est fons David. Ego vero in die tribulationis meæ Deum exquisivi, manibus meis contra eum et non sum deceptus: in eo enim in quo passus est et tentatus, potens est et eis qui tentantur auxiliari ut in nidulo suo moriantur, cum hoc non volentis, neque currentis, sed miserentis est Dei. Quis sum ego ut bravium illud comprehendam? Deus est qui operatur velle et perficere: non enim quod volo bonum hoc ago. Nisi Jesus manum porrigat, infixus maneo in limo profundi, nec est qui me de tantis periculis eruat: hominem non habeo. Sed qui eripuit, eripiet adhuc; scio enim cui credidi et certus sum quia potens est servare depositum meum, et quod neque principatus neque potestas neque ulla creatura poterit me separare a charitate Christi Jesu per quem anima mea sicut passer erepta est de laqueo venantium.

Quis loquetur potentias Domini? auditas faciet omnes laudes ejus? Beati qui custodiunt judicium et faciunt justitiam in omni tempore. Meminebitur Dominus in beneplacito populi sui, visitabit nos in salutari suo ad videndum

in bonitate electorum suorum, ad lætandum in lætitia gentis suæ ut laudetur cum hæreditate sua.

III. — Propitiatio.

An ignoramus quia benignitas Dei ad pœnitentiam nos adducit? filios enutrivit; ipsi vero spreverunt eum et qui secum comedebat panem levavit contra eum calcaneum suum. Clamaverunt ad Dominum cum tribularentur et de necessitatibus eorum eripuit eos deduxitque eos in viam rectam ut irent in civitatem habitationis; cum non habeamus hic manentem civitatem. Satiavit animam inanem, et animam esurientem satiavit bonis; ipsi vero exacerbaverunt eloquia Dei et consilium Altissimi irritaverunt et cum humiliatum esset in laboribus cor eorum, infirmati sunt nec fuit qui adjuvaret: clamaverunt ad Dominum cum tribularentur, et de necessitatibus eorum liberavit eos eduxitque eos de tenebris et umbra mortis et vincula eorum disrupit; suscepit eos de via iniquitatis eorum: propter injustitias enim suas humiliati sunt. Ipsi vero abominati sunt escam Domini et appropinquaverunt usque ad portas mortis: clamaverunt ad

Dominum cum tribularentur et de necessitatibus eorum liberavit eos, misitque verbum suum et sanavit eos et eripuit eos de interitionibus eorum. Populus autem hic labiis eum honorat; cor autem eorum longe est ab eo: si Pater ego sum, ait Dominus, ubi est honor meus? Vocavi et renuistis, tetendi tota die manus meas ad populum non credentem et contradicentem. Et iratus est furore Dominus in populum suum et abominatus est hæreditatem suam; tradiditque eos in manus gentium et tribulaverunt eos inimici eorum et humiliati sunt sub manibus eorum. Sæpe liberavit eos; ipsi autem exacerbaverunt eum in consilio suo et humiliati sunt in iniquitatibus suis. Et memor fuit testamenti sui et pœnituit eum secundum multitudinem misericordiæ suæ.

Salvos nos fac, Domine Deus, et congrega nos de nationibus ut confiteamur nomini sancto tuo et gloriemur in laude tua.

IV. — Oratio.

Nonne tu, Deus, qui repulisti nos et non exibis, Deus, in virtutibus nostris? Da nobis auxilium de tribulatione quia vana salus hominis: in te autem faciemus

virtutem, et ipse deduces ad nihilum inimicos nostros.

Confessio et magnificentia opus tuum et justitia tua manet in sæculum sæculi: etenim memoriam fecisti mirabilium tuorum, misericors et miserator Dominus, escam dedisti timentibus te, memorque eris in sæculum testamenti tui ut annunties virtutem operum tuorum populo tuo. Ecce, in pace in teipso dormiam et requiescam quia fidelia omnia mandata tua, confirmata in sæculum sæculi, facta in veritate et æquitate.

Bonum est sperare in te, quam sperare in principibus: impulsus sum ut caderem et tu suscepisti me, fortitudo mea et laus mea, Domine, et factus es mihi in salutem. Confitemini Domino quoniam bonus, quoniam in sæculum misericordia ejus.

TITULUS XXIII.

JESUS: PATER PAUPERUM

I. — Adoratio.

Quam magnificata sunt opera tua, Domine! omnia in sapientia fecisti, impleta est terra possessione tua. Omnia a te

exspectant ut des illis escam in tempore; dante te illis, colligent; aperiente te manum tuam, omnia implebuntur bonitate. Avertente autem te faciem turbabuntur: auferes spiritum eorum et deficient et in pulverem suum revertentur: emittes spiritum tuum et creabuntur et renovabis faciem terræ.

Sit gloria Domini in sæculum, cantabo Domino in vita mea, psallam Deo meo quamdiu sum, quoniam memor fuit in sæculum testamenti sui, verbi quod mandavit in mille generationes.

Beatus vir qui timet Dominum, qui in mandatis ejus volet nimis: ecce, potens in terra erit semen ejus quia generatio rectorum benedicetur; gloria et divitiæ in domo ejus et justitia ejus manet in sæculum sæculi. Dicant nunc qui timent Dominum, quoniam in sæculum misericordia ejus. Deus meus es tu, et confitebor tibi; Deus meus es tu et exaltabo te quoniam exaudisti me et factus es mihi in salutem: Deus meus es tu quoniam bonorum meorum non eges.

Hæc dicis, Domine: Cœlum sedes mea, terra autem scabellum pedum meorum: quæ est ista domus quam ædificabitis mihi? et quis est iste locus quietis meæ? Omnia hæc manus mea fecit, et facta

sunt universa ista, ad quem autem respiciam nisi ad pauperculum et contritum spiritu, et trementem sermones meos? Ecce ego declinabo super eum quasi fluvium pacis et quasi torrentem inundantem gloriam gentium, quam sugetis: ad ubera portabimini et super genua blandientur vobis. Quomodo si cui mater blandiatur, ita ego consolabor vos.

II. — Gratiarum actio.

Confitebor tibi, Domine, in toto corde meo, narrabo omnia mirabilia tua, lætabor et exultabo in te, psallam nomini tuo, Altissime. Ecce parasti in judicio thronum tuum et judicabis populos in æquitate; factus es refugium pauperi, adjutor in opportunitatibus, in tribulatione. Et sperent in te qui noverunt nomen tuum, quoniam non dereliquisti quærentes te, Domine, quoniam non in finem oblivio erit pauperis, patientia pauperum non peribit in finem.

Interea exacerbavit Dominum peccator, sedetque in insidiis cum divitibus in occultis ut interficiat innocentem, insidiatur ut rapiat pauperem. Dixit enim in corde suo: Oblitus est Deus, avertit faciem suam ne videat in finem. Vides

tu, Domine, quoniam laborem et dolorem consideras: tibi derelictus est pauper, orphano tu eris adjutor, desiderium pauperum exaudies, ac præparationem cordis eorum audivit auris tua quoniam dixisti: Beati pauperes spiritu quoniam ipsorum est regnum cœlorum; nolite tangere christos meos, uncti enim sunt oleo misericordiæ et justitiæ, oves sunt quas quisque non rapiet de manu mea.

Ecce peccatores intenderunt arcum, paraverunt sagittas suas in pharetra, ut sagittent in obscuro rectos corde. Dominus autem in templo sancto suo, Dominus in cœlo sedes ejus; oculi ejus in pauperem respiciunt, palpebræ ejus interrogant filios hominum quoniam justus Dominus et justitias dilexit, æquitatem vidit vultus ejus; etenim nisi quisque renuntiaverit omnia quæ possidet discipulus ejus esse non potest et in hoc cognoscent omnes quia discipuli ejus sumus si dilectionem habuerimus ad invicem. Vana locuti sunt unusquisque ad proximum suum, labia dolosa in corde, et corde locuti sunt. Propter miseriam inopum et gemitum pauperum nunc exsurgam, dicit Dominus.

III. — Propitiatio.

Quo mihi multitudinem victimarum vestrarum? dicit Dominus, plenus sum. Holocausta arietum et adipem pinguium et sanguinem vitulorum et agnorum et hircorum nolui. Cum veneritis ante conspectum meum, quis quæsivit hæc de manibus vestris, ut ambularetis in atriis meis? Ne offeratis ultra sacrificium frustra: incensum abominatio est mihi. Neomeniam et sabbatum et festivitates alias non feram, iniqui sunt cœtus vestri: calendas vestras et solemnitates vestras odivit anima mea: facta sunt mihi molesta, laboravi sustinens. Et cum extenderitis manus vestras, avertam oculos meos a vobis et cum multiplicaveritis orationem, non exaudiam: manus enim vestræ sanguine plenæ sunt. Lavamini, mundi estote, auferte malum cogitationum vestrarum ab oculis meis: quiescite agere perverse, discite benefacere: quærite judicium, subvenite oppresso, judicate pupillo, defendite viduam. Et venite, et arguite me, dicit Dominus: si fuerint peccata vestra ut coccinum, quasi nix dealbabuntur, et si fuerint rubra quasi vermiculus, velut lana alba erunt. Si volueritis et audieritis me, bona terræ

ST. ALBERT'S COLLEGE LIBRARY

comedetis. Quod si nolueritis, et me ad iracundiam provocaveritis, gladius devorabit vos, quia os Domini locutum est.

IV. — Oratio.

Usquequo, Domine, oblivisceris me in finem? Usquequo avertis faciem tuam a me? Quamdiu ponam consilia in anima mea, dolorem in corde meo per diem? Usquequo exaltabitur inimicus meus super me? Respice et exaudi me, Domine Deus meus, illumina oculos meos ne umquam obdormiam in morte nequando dicat inimicus meus: Prævalui adversus eum. Qui tribulant me, exultabunt si motus fuero; ego autem in misericordia tua speravi. Exultabit cor meum in salutari tuo, cantabo tibi qui bona tribuisti mihi, et psallam nomini Domini altissimi.

Deus, tu scis insipientiam meam, et delicta mea a te non sunt abscondita; non erubescant in me qui exspectant te, Domine; in multitudine misericordiæ tuæ exaudi me, in veritate salutis tuæ. Ego sum pauper et dolens, salus tua, Deus, suscepit me: videant pauperes et lætentur; quærite Deum et vivet anima vestra quoniam exaudivit pauperes Dominus et vinctos suos non despexit.

TITULUS XXIV.

JESUS: THESAURUS FIDELIUM

I. — Adoratio.

Idem Dominus omnium, dives in omnes qui invocant illum; omnis enim, quicumque invocaverit nomen Domini, salvus erit. Quomodo ergo invocabunt in quem non crediderunt? fides ex auditu, auditus autem per verbum Christi; fides autem est sperandarum substantia rerum, argumentum non apparentium, per quam dives in omnibus facti sumus, in omni verbo et in omni scientia, ita ut nihil nobis desit in ulla gratia, exspectantibus revelationem Domini nostri Jesu Christi.

Nos omnes aliquando conversati sumus in desideriis carnis nostræ, facientes voluntatem carnis et cogitationum, et eramus natura filii iræ, sicut et cæteri: Deus autem, qui dives est in misericordia, propter nimiam charitatem suam, qua dilexit nos, et cum essemus mortui peccatis convivificavit nos in Christo et conresuscitavit et consedere fecit in cœ-

lestibus in Christo Jesu, ut ostenderet in sæculis supervenientibus abundantes divitias gratiæ suæ, in bonitate super nos in Christo Jesu. Gratia enim estis salvati per fidem, et hoc non ex vobis: Dei enim donum est, non ex operibus ut ne quis glorietur. Ipsius enim sumus factura, creati in Christo Jesu in operibus bonis, quæ præparavit Deus ut in illis ambulemus. Nunc autem in Christo Jesu vos qui aliquando eratis longe, facti estis prope in sanguine Christi. Ipse enim est pax nostra, qui fecit utraque unum, et medium parietem maceriæ solvens inimicitias in carne sua: legem mandatorum decretis evacuans, ut duos condat in semetipso in unum novum hominem, faciens pacem, et reconciliet ambos in uno corpore, Deo per crucem, interficiens inimicitias in semetipso. Per ipsum habemus accessum ambo in uno Spiritu ad Patrem. Ergo jam non estis hospites et advenæ, sed estis cives sanctorum et domestici Dei, superædificati super fundamentum apostolorum et prophetarum, ipso summo angulari lapide Christo Jesu; in quo omnis ædificatio constructa crescit in templum sanctum in Domino in quo et vos coædificamini in habitaculum Dei in Spiritu.

II. — Gratiarum actio.

Hujus rei gratia ego Paulus vinctus Christi Jesu, pro vobis gentibus, si tamen audistis dispensationem gratiæ Dei, quæ data est mihi in vobis: quoniam secundum revelationem, notum mihi factum est sacramentum sicut supra scripsi in brevi: prout potestis legentes intelligere prudentiam meam in mysterio Christi; quod aliis generationibus non est agnitum filiis hominum, sicuti nunc revelatum est sanctis apostolis ejus et prophetis in Spiritu: gentes esse cohæredes et concorporales et comparticipes promissionis ejus in Christo Jesu per evangelium: cujus factus sum minister secundum donum gratiæ Dei quæ data est mihi secundum operationem virtutis ejus. Mihi omnium sanctorum minimo data est gratia hæc, in gentibus evangelizare investigabiles divitias Christi et illuminare omnes, quæ sit dispensatio sacramenti absconditi a sæculis a Deo, qui omnia creavit: ut innotescat principatibus et potestatibus in cœlestibus per Ecclesiam, multiformis sapientia Dei secundum præfinitionem sæculorum quam fecit in Christo Jesu Domino nostro; in quo habemus fiduciam et accessum in confidentia per

fidem ejus. Propter quod peto ne deficiatis in tribulationibus meis pro vobis: quæ est gloria vestra. Hujus rei gratia flecto genua mea ad Patrem Domini nostri Jesu Christi ex quo omnis paternitas in cœlis et in terra nominatur, ut det vobis secundum divitias gloriæ suæ virtute corroborari per Spiritum ejus in interiorem hominem, Christum habitare per fidem in cordibus vestris: in charitate radicati et fundati, ut possitis comprehendere cum omnibus sanctis, quæ sit latitudo et longitudo et sublimitas et profundum: scire etiam supereminentem scientiæ charitatem Christi, ut impleamini in omnem plenitudinem Dei. Ei autem, qui potens est omnia facere superabundanter quam petimus, aut intelligimus, secundum virtutem quæ operatur in nobis; ipsi gloria in Ecclesia et in Christo Jesu in omnes generationes sæculi sæculorum. Amen.

III. — Propitiatio.

Obsecro itaque vos ego vinctus in Domino, ut digne ambuletis vocatione qua vocati estis, cum omni humilitate et mansuetudine, cum patientia, supportantes invicem in charitate, solliciti servare uni-

tatem spiritus in vinculo pacis. Unum corpus, et unus spiritus sicut vocati estis in una spe vocationis vestræ. Unus Dominus, una fides, unum baptisma; unus Deus et Pater omnium, qui est super omnes et per omnia et in omnibus nobis. Unicuique autem nostrum data est gratia secundum mensuram donationis Christi. Veritatem autem facientes in charitate, crescamus in illo per omnia, qui est caput Christus. Hoc igitur dico et testificor in Domino, ut jam non ambuletis, sicut et gentes ambulant in vanitate sensus sui, tenebris obscuratum habentes intellectum, alienati a vita Dei, per ignorantiam quæ est in illis, propter cæcitatem cordis ipsorum. Vos autem non ita didicistis Christum. Renovamini autem spiritu mentis vestræ et induite novum hominem qui secundum Deum creatus est in justitia et sanctitate veritatis. Propter quod deponentes mendacium, loquimini veritatem unusquisque cum proximo suo: quoniam sumus invicem membra. Irascimini et nolite peccare: sol non occidat super iracundiam vestram. Nolite locum dare diabolo.

Estote autem invicem benigni, misericordes, donantes invicem sicut et Deus in Christo donavit vobis.

IV. — Impetratio.

De cætero, fratres, confortamini in Domino et in potentia virtutis ejus. Induite vos armaturam Dei ut possitis stare adversus insidias diaboli. Quoniam non est nobis colluctatio adversus carnem et sanguinem: sed adversus principes et potestates, adversus mundi rectores tenebrarum harum, contra spiritualia nequitiæ, in cœlestibus: in omnibus sumentes scutum fidei per omnem orationem et obsecrationem orantes omni tempore in spiritu: et in ipso vigilantes in omni instantia, et obsecratione pro omnibus sanctis, et pro me, ut detur mihi sermo in apertione oris mei cum fiducia, notum facere mysterium Evangelii. Oremus.

TITULUS XXV.

JESUS: BONUS PASTOR

I. — Adoratio.

Tu es, Domine, Pastor bonus qui dat animam suam pro ovibus suis. Te duce, non esurient oves neque sitient, et non

percutiet eas æstus et sol; quia miserator earum reget eas et ad fontes aquarum potabit eas: super vias pascentur et in omnibus planis pascua eorum. Ecce, patens est fons domui David in qua haurimus aquas in gaudio de fontibus Salvatoris, aquas salientes in vitam æternam, de quibus si quis biberit non sitiet in æternum.

Introite in conspectu ejus in exultatione; populus ejus et oves pascuæ ejus, introite portas ejus in confessione, atria ejus in hymnis: confitemini illi. Gustate et videte quoniam suavis est Dominus, quoniam non est inopia metuentibus eum; divites eguerunt et esurierunt, inquirentes autem Dominum non minuentur omni bono quia in Deo est salutare eorum et gloria, Deus auxilii eorum et spes. Omnia ab ipso exspectant ut det illis escam in tempore: dante ipso colligent, aperiente ipso manum suam omnia implebuntur bonitate. Adorate Pastorem animarum qui animam suam ponit et nemo tollit eam ab eo: ipse cognoscit oves et cognoscunt eum oves ejus et sequuntur eum quocumque ierit; ecce enim millia millium secuti sunt Agnum et prociderunt ante faciem suam. Ideoque et nos tantam habentes impositam

nubem testium, deponentes omne pondus et circumstans nos peccatum, per patientiam curramus ad propositum nobis certamen, aspicientes in auctorem fidei, et consummatorem Jesum, qui proposito sibi gaudio sustinuit crucem, confusione contempta, atque in dextera Dei sedet. Recogitate enim eum, qui talem sustinuit a peccatoribus adversum semetipsum contradictionem; ut ne fatigemini, animis vestris deficientes. Bonus pastor animam suam dat pro ovibus suis; Christus autem heri, et hodie, ipse et in sæcula, offertur oblatio munda Deo Patri pro salute ovium.

II. — Gratiarum actio.

Petierunt olim in deserto et venit coturnix et pane cœli saturavit eos; dirupit petram Dominus et fluxerunt aquæ, abierunt in sicco flumina. E latere autem Pastoris dormientis fluxit sanguis et aqua; ipse dat suis manibus panem de cœlo verum per quem sanat contritos corde et alligat contritiones eorum. In brachio suo congregabit agnos et in sinu suo levabit, et fœtas ipse portabit; visitatio ejus custodit spiritum nostrum. Panem ipsis paravit in satietatem, nam

et sacrificia Domini edunt; paratum panem de cœlo præstat illis sine labore, omne delectamentum in se habentem et omnem saporis suavitatem.

Quam suavis est, Domine, spiritus tuus, nam sicut visitat pastor gregem suum, ais, sic visitabo oves meas et educam eas, et in montibus excelsis erunt pascua earum: ibi requiescent in herbis virentibus. Et suscitabo super eas Pastorem unum qui pascat eas; vos autem greges mei, greges pascuæ meæ estis, et ego Dominus Deus vester. Et vocabo frumentum et multiplicabo illud et non imponam vobis famem. Misereor nunc turbæ, quia triduo jam perseverant mecum et non habent quod manducent; et dimittere eos jejunios nolo, ne deficiant in via. Pater meus dat vobis panem de cœlo; panis enim Dei est, qui de cœlo descendit et dat vitam mundo.

Qui das jumentis escam ipsorum et pullis corvorum invocantibus eum, non negabis panem filio petenti, imo dabis spiritum bonum petentibus te. Substantia enim tua, dulcedinem tuam, quam in filios habes, ostendit, et deserviens uniuscuiusque voluntati, ad quod quisque vult, convertitur.

III. — Propitiatio.

Jesus ut sanctificaret per suum sanguinem populum extra portam passus est. Exeamus igitur ad eum extra castra, improperium ejus portantes. Non enim habemus hic manentem civitatem, sed futuram inquirimus; per ipsum ergo offeramus hostiam laudis semper Deo, id est, fructum labiorum confitentium nomini ejus. Beneficentiæ autem, et communionis nolite oblivisci; talibus enim hostiis promeretur Deus. Obedite præpositis vestris et subjacete eis. Ipsi enim pervigilant quasi rationem pro animabus vestris reddituri, ut cum gaudio hoc faciant et non gementes: hoc enim non expedit vobis. Deus autem pacis, qui eduxit de mortuis pastorem magnum ovium, in sanguine testamenti æterni, Dominum nostrum Jesum Christum, aptet vos in omni bono, ut faciatis ejus voluntatem: faciens in vobis quod placeat coram se per Jesum Christum: cui est gloria in sæcula sæculorum. In hoc enim vocati estis: quia et Christus passus est pro nobis, vobis relinquens exemplum ut sequamini vestigia ejus. Qui peccatum non fecit, nec inventus est in ore ejus

dolus: qui cum malediceretur non maledicebat, cum pateretur, non comminabatur: tradebat autem judicanti se injuste. Qui peccata nostra ipse pertulit in corpore suo super lignum: ut peccatis mortui, justitiæ vivamus; cujus livore sanati estis. Eratis enim sicut oves errantes sed conversi estis nunc ad pastorem et episcopum animarum vestrarum.

IV. — Oratio.

Pastor et Episcope animarum nostrarum, leva in circuitu oculos tuos, et vide; omnes isti congregati sunt, venerunt tibi, redempti tui sunt; quandonam omnibus his velut ornamento vestieris et circumdabis tibi eos quasi sponsa? Per te introeant et salventur et ingrediantur et egrediantur et pascua inveniant: miserere super turbam, quia non habent quod manducent; nobiles interierunt fame et multitudo ejus siti exaruit. Libenter vitam meam pro iis fac impendam et superimpendam, pone fines tuos pacem sed adipe frumenti satia eos, custodi sicut pastor gregem tuum, et hæreditatem tuam ne despexerit: ecce omnes nos quasi oves erramus, et posuit in te Pater

iniquitates omnium nostrum. Miserere nostri et salva nos brachio tuo extento, et manu forti defende nos a supervenientibus lupis qui devastare volunt gregem tuum.

TITULUS XXVI.

JESUS: LUX VERA

I. — Adoratio.

Quamdiu Dominus Jesus est in mundo, lux est mundi. Consolamini, consolamini, populo meus: non erit tibi amplius sol ad lucendum per diem, nec splendor lunæ illuminabit te; sed erit tibi Dominus in lucem sempiternam, et complebuntur dies luctus tui. Surge, illuminare, Jerusalem, quia venit lumen tuum et gloria Domini super te orta est; gaude et lætare, Jerusalem, quia non occidet ultra sol tuus, et luna tua non minuetur. Accedite ad eum et illuminamini, et facies vestræ non confundentur; ipse est lucerna ardens et lucens quam posuit Pater super candelabrum ut luceat omnibus qui in domo sunt.

Dominus illuminatio mea et salus mea: quem timebo? rectus callis meus ad ambulandum: ecce enim sunt prava in directa, et aspera in vias planas, præcedetque Agnus Dei qui est lucerna Dei, quem sequuntur servi ejus quocumque ierit, nam qui sequitur eum non ambulat in tenebris sed habet lumen vitæ, cum ipse sit qui lucem inhabitat inaccessibilem. Vita autem nostra est cum Christo abscondita in Deo quia vita est lux hominum et vita in ipso erat, est eritque in æternum. Ego, inquit, sum via, veritas et vita; ego sum lux mundi.

Disce ubi sit prudentia, ubi sit virtus, ubi sit intellectus ut scias simul ubi sit longanimitas vitæ et victus, ubi sit lumen oculorum et pax. Si quis autem hoc nesciens, se existimat scire aliquid, nondum cognoscit quemadmodum oporteat eum scire: hæc est enim vita æterna ut cognoscant Patrem et quem ille misit Jesum Christum.

II. — Gratiarum actio.

Sapientia vero ubi invenitur? et quis est locus intelligentiæ? nescit homo pretium ejus, nec invenitur in terra suaviter viventium. Abyssus dicit: Non est in

me; et mare loquitur: Non est mecum. Non dabitur aurum obrizum pro ea, nec appendetur argentum in commutatione ejus. Non conferetur tinctis Indiæ coloribus, nec lapidi sardonyco pretiosissimo, vel sapphiro; non adæquabitur ei aurum vel vitrum, nec commutabuntur pro ea vasa auri. Excelsa et eminentia non memorabuntur in comparatione ejus: trahitur autem sapientia de occultis. Unde ergo sapientia venit? et quis est locus intelligentiæ? Abscondita est ab oculis omnium viventium; Deus intelligit viam ejus et ipse novit locum illius.

Clara est, et quæ nunquam marcescit sapientia, et facile videtur ab his qui diligunt eam, et invenitur ab his qui quærunt illam. Præoccupat qui se concupiscunt, ut illis se prior ostendat; qui de luce laboraverit ad illam non laborabit, assidentem enim illam foribus suis inveniet. Cogitare ergo de illa, sensus est consummatus, et qui vigilaverit propter illam, cito securus erit, quoniam dignos se ipsa circuit quærens, et in viis ostendit se illis hilariter et in omni providentia occurrit illis. Initium enim illius verissima est disciplinæ concupiscentia; cura ergo disciplinæ, dilectio est; et dilectio, custodia legum illius est; custodia au-

tem legum, consummatio incorruptionis est, incorruptio autem facit esse proximum Deo, concupiscentia itaque sapientiæ deducit ad regnum perpetuum.

Luce sapientiæ aperientur oculi cæcorum et aures surdorum patebunt. Dominus enim illuminat cæcos et erigit elisos; cumque effuderis esurienti animam tuam et animam afflictam repleveris, orietur in tenebris lux tua, et tenebræ nostræ erunt sicut meridies. Nonne populus qui sedebat in tenebris, vidit lucem magnam, lux orta est eis?

Beatus populus qui scit jubilationem! Domine, in lumine vultus tui ambulabunt qui quærunt te et super salutem et speciem diligunt lucem tuam et proponunt pro luce habere sapientiam quoniam inextinguibile est lumen illius ut impleas splendoribus animam eorum et sint quasi hortus irriguus et sicut fons aquarum cujus non deficiunt aquæ.

III. — Propitiatio.

Illuminas tu, Domine, omnem hominem venientem in hunc mundum, et ecce tenebræ te non comprehenderunt quia dilexerunt homines magis tenebras quam lucem; nescierunt neque intellexerunt,

in tenebris ambulant, viam rectam ostendisti et ab ea declinant, veritatem docuisti, et illam ignorant. Rebelles fuerunt lumini, nescierunt vias tuas, nec reversi sunt per semitas tuas. Lux quidem orta est sed justis et rectis corde, illuminas tu mirabiliter a montibus æternis sed turbati sunt omnes insipientes corde quia nolunt ad lucem venire ut non arguantur opera eorum; sunt enim mala. Radii tui ubique fulgent nec est qui se abscondat a calore eorum, sed multi dormiunt somnum suum ne videant et intelligant corde. Ideo posuisti iniquitates nostras in conspectu tuo, sæculum nostrum in illuminatione vultus tui, iratus es ira, Domine, propter incredulitatem nostram; et quis novit potestatem iræ tuæ et præ timore tuo iram tuam dinumerare?

IV. — Oratio.

Ego autem oro et obsecro: Domine, aperi oculos istorum, ut videant; ne sinas illos amplius in tenebris ambulare, discute nebulas in quibus se involvunt, fulgura coruscationem tuam, emitte sagittas tuas, conturba eos, emitte manum tuam de alto, præ fulgore in conspectu

tuo nubes transeant; auxiliare operibus manuum tuarum ut cognoscamus in terra viam tuam, in omnibus gentibus salutare tuum, oriatur in cordibus nostris lux quæ illuminat omnem hominem. Legem pone mihi, Domine, in via tua, et dirige me in semitam rectam propter inimicos meos, luceat lux tua coram hominibus et videant opera tua et glorificent Patrem tuum qui in cœlis est, revela oculos eorum et considerabunt mirabilia de lege tua; Domine, fac ut videant et ambulent in semitis tuis.

TITULUS XXVII.

JESUS : SAPIENTIA ÆTERNA

I. — Adoratio.

Sapientia foris prædicat, in plateis dat vocem suam. Multifaria, multisque modis olim loquens Pater in prophetis, novissimis diebus istis locutus est nobis in filio cujus origo ab initio a diebus æternitatis, ante Luciferum genitus et ante sæcula. Dignatus est enim nobis per omnia similari, frater noster fieri ut

nobis loqui possit ore ad os, sicut solet amicus ad amicum. O altitudo divitiarum sapientiæ et scientiæ Dei! Quam incomprehensibilia sunt judicia ejus, et investigabiles viæ ejus! Infinitus enim thesaurus est hominibus: quo qui usi sunt, participes facti sunt amicitiæ Dei, propter disciplinæ dona commendati: quoniam ipse sapientiæ dux est et sapientium emendator. In manu enim illius et nos et sermones nostri et omnis sapientia et operum scientia et disciplina. Est in illo spiritus intelligentiæ, sanctus, unicus, multiplex, subtilis, disertus, mobilis, incoinquinatus, certus, suavis, amans bonum, acutus, quem nihil vetat, benefaciens, humanus, benignus, stabilis, certus, securus, omnem habens virtutem, omnia prospiciens, et qui capiat omnes spiritus, intelligibilis, mundus, subtilis. Omnibus enim mobilibus mobilior est sapientia; attingit autem ubique propter suam munditiam. Vapor est enim virtutis Dei, et emanatio quædam est claritatis omnipotentis Dei sincera; et ideo nihil inquinatum in eam incurrit. Candor est enim lucis æternæ, et speculum sine macula Dei majestatis, et imago bonitatis illius. Et cum sit una, omnia potest; et in se permanens omnia innovat, et per nationes in

animas sanctas se transfert, amicos Dei et prophetas constituit. Neminem enim diligit Deus, nisi eum qui cum sapientia inhabitat. Est enim hæc speciosior sole et super omnem dispositionem stellarum, luci comparata invenitur prior. Illi enim succedit nox; sapientiam autem non vincit malitia.

II. — Gratiarum actio.

Attingit a fine usque ad finem fortiter, et disponit omnia suaviter. Hanc amavi et exquisivi a juventute mea, et quæsivi sponsam mihi eam assumere, et amator factus sum formæ illius. Generositatem illius glorificat, contubernium habens Dei: sed et omnium Dominus dilexit illam; doctrix enim est disciplinæ Dei, et electrix operum illius. Et si divitiæ appetuntur in vita, quid sapientia locupletius, quæ operatur omnia? Si autem sensus operatur, quis horum quæ sunt, magis quam illa est auctor? Et si justitiam quis diligit, labores hujus magnas habent virtutes: sobrietatem enim et prudentiam docet et justitiam et virtutem, quibus utilius nihil est in vita hominibus. Et si multitudinem scientiæ desiderat quis, scit præterita et de fu-

turis æstimat, scit versutias sermonum et dissolutiones argumentorum: signa et monstra antequam fiant, et eventus temporum et sæculorum.

Habebo per hanc, immortalitatem; intrans in domum meam, conquiescam cum illa: non enim habet amaritudinem conversatio illius, nec tædium convictus illius, sed lætitiam et gaudium. Hæc cogitans apud me et commemorans in corde meo, quoniam immortalitas est in cognatione sapientiæ et in amicitia illius delectatio bona, et in operibus manuum illius honestas sine defectione, et in certamine loquelæ illius sapientia, et præclaritas in communicatione sermonum ipsius: circuibam quærens, ut mihi illam assumerem.

De cœlo processit et venit; Verbum enim caro factum est et habitavit in nobis plenum gratiæ et veritatis.

III. — Propitiatio.

Diligite justitiam, qui judicatis terram. Sentite de Domino in bonitate, et in simplicitate cordis quærite illum quoniam invenitur ab his qui non tentant illum: apparet autem eis qui fidem habent in illum; perversæ enim cogitationes

separant a Deo, probata autem virtus corripit insipientes. Quoniam in malevolam animam non introibit sapientia, nec habitabit in corpore subdito peccatis. Spiritus enim sanctus disciplinæ effugiet fictum, et auferet se a cogitationibus quæ sunt sine intellectu, et corripietur a superveniente iniquitate. Benignus est enim spiritus sapientiæ, et non liberabit maledictum a labiis suis quoniam renum illius testis est Deus, et cordis illius scrutator est verus, et linguæ ejus auditor, quoniam spiritus Domini replevit orbem terrarum, et hoc, quod continet omnia, scientiam habet vocis. Propter quod, qui loquitur iniqua, non potest latere, nec præteriet illum corripiens judicium. In cogitationibus enim impii interrogatio erit: sermonum autem illius auditio ad Deum veniet, ad correptionem iniquitatum illius. Quoniam auris zeli audit omnia, et tumultus murmurationum non abscondetur. Custodite ergo vos a murmuratione, quæ nihil prodest, et a detractione parcite linguæ, quoniam sermo obscurus in vacuum non ibit: os autem quod mentitur, occidit animam; nolite zelare mortem in errore vitæ vestræ, neque acquiratis perditionem in operibus manuum vestrarum.

IV. — Oratio.

Domine Jesu, Sapientia æterna, da mihi intelligentiam, da mihi sedium tuarum assistricem sapientiam et noli me reprobare a pueris tuis. Libera nos manu tua et adjuva me nullum aliud auxilium habentem nisi te, Domine, qui habes omnium scientiam; deriventur fontes tui foras et in plateis aquas tuas divide, nam sensum tuum quis sciet nisi tu dederis sapientiam et miseris Spiritum sanctum tuum de altissimis? Ciba, quæso, me pane vitæ et intellectus et aqua sapientiæ salutaris pota me; et firmeris in me et non flecteris; aperi in medio Ecclesiæ os meum et adimple me spiritu sapientiæ et intellectus.

TITULUS XXVIII.

JESUS: BONITAS INFINITA

I. — Adoratio.

Benignitas et humanitas apparuit Salvatoris nostri Dei, non ex operibus justitiæ, quæ fecimus nos, sed secundum

suam misericordiam salvos nos fecit per lavacrum regenerationis et renovationis Spiritus Sancti quem effundit in nos abunde per Jesum Christum Salvatorem nostrum. Adeamus cum fiducia ad thronum gratiæ ut misericordiam inveniamus in auxilio opportuno.

Miserationum Domini recordabor, laudem Domini super omnibus et super multitudinem bonorum domui Israel, quæ largitus est eis secundum indulgentiam suam et secundum multitudinem misericordiarum suarum. Et dixi: Verumtamen populus meus est, filii non negantes: et factus est eis salvator. In omni tribulatione eorum non est tribulatus, et angelus faciei ejus salvavit eos: in dilectione sua et in indulgentia sua ipse redemit eos et portavit eos, et elevavit eos cunctis diebus sæculi.

Gaudens gaudebo in Domino et exultavit anima mea in Deo meo, quia induit me vestimentis salutis, et indumento justitiæ circumdedit me, quasi sponsum decoratum corona, et quasi sponsam ornatam monilibus suis. Sicut enim terra profert germen suum, et sicut hortus semen suum germinat, sic Dominus Deus germinabit justitiam, et laudem coram universis gentibus. Quam bonus Israel

Deus his qui recto sunt corde! Sentite de Domino in bonitate et in hymnis et canticis laudate eum; nolite pavere ad sanctuarium ejus; etenim mitis est et humilis corde, invitatque: Venite ad me omnes qui laboratis et onerati estis et ego reficiam vos.

II. — Gratiarum actio.

Videt omnis caro salutare Dei, revelatur gloria Domini et videt omnis caro pariter quod os Domini locutum est; etenim notum fecit Dominus salutare suum, et magnus in medio nostri sanctus Israel. Omnes sitientes venite ad aquas et qui non habetis argentum properate, emite et comedite: venite, emite absque argento et absque ulla commutatione vinum et lac. Quare appenditis argentum non in panibus, et laborem vestrum non in saturitate? Audite audientes me, et comedite bonum, et delectabitur in crassitudine anima vestra; inclinate aurem vestram et venite ad me: audite et vivet anima vestra, et feriam vobiscum pactum sempiternum, misericordias David fideles. Ecce testem populis dedi eum, ducem ac præceptorem gentibus: ecce gentem quam nesciebas, vocabis, et gentes

quæ te non cognoverunt, ad te current propter Dominum Deum tuum, et sanctum Israel, quia glorificavit te.

Quærite Dominum dum inveniri potest, invocate eum, dum prope est; derelinquat impius viam suam et vir iniquus cogitationes suas, et revertatur ad Dominum et miserebitur ejus, et ad Deum nostrum quoniam multus est ad ignoscendum. Non enim cogitationes meæ, cogitationes vestræ, neque viæ vestræ, viæ meæ, dicit Dominus. Quia sicut exaltantur cœli a terra, sic exaltatæ sunt viæ meæ a viis vestris, et cogitationes meæ a cogitationibus vestris. Et quomodo descendit imber et nix de cœlo, et illuc ultra non revertitur, sed inebriat terram, et infundit eam, et germinare eam faciet, et dat semen serenti, et panem comedent; sic erit verbum meum, quod egredietur de ore meo: non revertetur ad me vacuum, sed faciet quæcumque volui, et prosperabitur in his, ad quæ misi illud. Quia in lætitia egrediemini et in pace deducemini: montes et colles cantabunt coram vobis laudem, et omnis lingua regionis plaudent manu. Pro saliunca ascendet abies, et pro urtica crescet myrtus; et erit Dominus nominatus in signum æternum, quod non auferetur.

III. — Propitiatio.

Qui dicunt: Recede a me, non appropinques mihi, quia immundus es: isti fumus erunt in furore meo, ignis ardens tota die. Ecce scriptum est coram me: non tacebo sed reddam et retribuam in sinum eorum iniquitates vestras et iniquitates patrum vestrorum, dicit Dominus. Et educam de Jacob semen et de Juda possidentem montes meos: et hæreditabunt eam electi mei, et servi mei habitabunt ibi. Et vos qui reliquistis Dominum, qui obliti estis montem sanctum meum, qui ponitis Fortunæ mensam et libatis super eam; munerabo vos in gladio et omnes in cæde corruetis: pro eo quod vocavi et non respondistis, locutus sum et non audistis, et faciebatis malum in oculis meis et quæ nolui elegistis.

Propter hoc hæc dicit Dominus Deus: Ecce servi mei comedent, et vos esurietis; ecce servi mei bibent, et vos sitietis: ecce servi mei lætabuntur et vos confundemini: ecce servi mei laudabunt præ exultatione cordis et vos clamabitis præ dolore cordis et præ contritione spiritus ululabitis. Ecce ego creo cœlos novos et terram novam, et non

erunt in memoria priora et non ascendent super cor; sed gaudebitis et exultabitis usque in sempiternum in his quæ ego creo: quia ecce ego creo Jerusalem exultationem, et populum ejus gaudium. Et exultabo in Jerusalem, et gaudebo in populo meo et non audietur in eo ultra vox fletus et vox clamoris. Viam facite, præbete iter, declinate de semita, auferte offendicula de via populi mei, quia hæc dicit Excelsus et sublimis habitans æternitatem, et sanctum nomen ejus in excelso et in sancto habitans, et cum contrito et humili spiritu: ut vivificet spiritum humilium et vivificet cor contritum: Non enim in sempiternum litigabo, neque usque ad finem irascar; quia spiritus a facie mea egredietur et flatus ego faciam.

IV. — Oratio.

Adducas nos, Domine, in montem sanctum tuum, et lætifices nos in domo orationis tuæ: holocausta nostra et victimæ nostræ placeant tibi super altari tuo: quia domus tua domus orationis vocabitur cunctis populis. Attende de cælo et vide de habitaculo sancto tuo et gloriæ tuæ: ubi est zelus tuus et forti-

tudo tua, multitudo viscerum tuorum et miserationum tuarum? Tu enim pater noster, tu, Domine, pater noster, redemptor noster, a sæculo nomen tuum; convertere propter servos tuos tribus hæreditatis tuæ.

TITULUS XXIX.

JESUS : VIA ET VITA NOSTRA

I. — Adoratio.

Hoc sentite in vobis quod et in Christo Jesu, qui cum in forma Dei esset non rapinam arbitratus est esse se æqualem Deo, sed semetipsum exinanivit formam servi accipiens, in similitudinem hominum factus et habitu inventus ut homo. Humiliavit semetipsum factus obediens usque ad mortem, mortem autem crucis. Factus est omnibus obtemperantibus sibi causa salutis æternæ; ipse dixit: ego sum via, veritas et vita; ego veni ut vitam habeant et abundantius habeant; hæc est autem vita æterna ut cognoscant Te et quem misisti Jesum Christum.

Igitur si consurrexistis cum Christo,

quæ sursum sunt quærite, ubi Christus est in dextera Dei sedens, quæ sursum sunt sapite, non quæ super terram. Mortui enim estis et vita vestra est abscondita cum Christo in Deo. Cum Christus apparuerit, vita vestra, tunc et vos apparebitis cum ipso in gloria. Benedictus Deus et Pater Domini nostri Jesu Christi, qui benedixit nos in omni benedictione spirituali in cœlestibus in Christo, sicut elegit nos in ipso ante mundi constitutionem ut essemus sancti et immaculati in conspectu ejus in charitate. Qui prædestinavit nos in adoptionem filiorum per Jesum Christum in ipsum secundum propositum voluntatis suæ, in laudem gloriæ gratiæ suæ, in qua gratificavit nos in dilecto filio suo, in quo habemus redemptionem per sanguinem ejus, remissionem peccatorum secundum divitias gratiæ ejus, quæ superabundavit in nobis in omni sapientia et prudentia.

II. — Gratiarum actio.

An ignoratis quia quicumque baptizati sumus in Christo Jesu, in morte ipsius baptizati sumus? Consepulti enim sumus cum illo per baptismum in mortem ut quomodo Christus surrexit a mor-

tuis per gloriam Patris ita et nos in novitate vitæ ambulemus. Si enim complantati facti sumus similitudini mortis ejus, simul et resurrectionis erimus, hoc scientes, quia vetus homo noster simul crucifixus est ut destruatur corpus peccati, et ultra non serviamus peccato. Si autem mortui sumus cum Christo, credimus quia simul etiam vivemus cum Christo: scientes quod Christus resurgens ex mortuis jam non moritur, mors illi ultra non dominabitur, quod enim mortuus est peccato, mortuus est semel, quod autem vivit, vivit Deo. Ita et vos existimate vos mortuos quidem esse peccato, viventes autem Deo, in Christo Jesu Domino nostro. Non ergo regnet peccatum in vestro mortali corpore ut obediatis concupiscentiis ejus, sed neque exhibeatis membra vestra arma iniquitatis peccato, sed exhibete vos Deo, tanquam ex mortuis viventes et membra vestra arma justitiæ. Peccatum enim vobis non dominabitur: non enim sub lege estis sed sub gratia.

Si unius delicto mors regnavit per unum, multo magis abundantiam gratiæ et donationis et justitiæ accipientes, in vita regnabunt per unum Jesum Christum. Igitur sicut per unius delictum

in omnes homines in condemnationem, sic et per unius justitiam in omnes homines justificationem vitæ. Sicut enim per inobedientiam unius hominis, peccatores constituti sunt multi, ita et per unius obeditionem, justi constituentur multi. Lex enim subintravit ut abundaret delictum; ubi autem abundavit delictum, superabundavit gratia, ut sicut regnavit peccatum in mortem, ita et gratia regnet per justitiam in vitam æternam, per Jesum Christum Dominum nostrum.

III. — Propitiatio.

Nihil nunc damnationis est iis qui sunt in Christo Jesu, qui non secundum carnem ambulant; lex enim spiritus vitæ in Christo Jesu liberavit me a lege peccati et mortis. Nam quod impossibile erat legi, in quo infirmabatur per carnem, Deus Filium suum mittens in similitudinem carnis peccati et de peccato damnavit peccatum in carne ut justificatio legis impleretur in nobis, qui non secundum carnem ambulamus sed secundum spiritum. Qui enim secundum carnem sunt, quæ carnis sunt sapiunt, qui vero secundum spiritum sunt, quæ sunt spiritus, sentiunt. Nam prudentia carnis,

mors est; prudentia autem spiritus, vita et pax; quoniam sapientia carnis inimica est Deo, legi enim Dei non est subjecta, nec enim potest. Qui autem in carne sunt, Deo placere non possunt; vos autem in carne non estis sed in spiritu: si tamen Spiritus Dei habitat in vobis. Si quis autem Spiritum Christi non habet, hic non est ejus, si autem Christus in vobis est, corpus quidem mortuum est propter peccatum, spiritus vero vivit propter justificationem. Quod si Spiritus ejus, qui suscitavit Jesum a mortuis, habitat in vobis, qui suscitavit Jesum Christum a mortuis, vivificabit et mortalia corpora vestra, propter inhabitantem Spiritum ejus in vobis.

Ergo, fratres, debitores sumus non carni, ut secundum carnem vivamus; si enim secundum carnem vixeritis moriemini: si autem spiritu facta carnis mortificaveritis, vivetis. Quicumque enim Spiritu Dei aguntur, ii sunt filii Dei; non enim accepistis spiritum servitutis iterum in timore, sed accepistis spiritum adoptionis filiorum in quo clamamus: Abba (Pater). Ipse enim Spiritus testimonium reddit spiritui nostro, quod sumus filii Dei; si autem filii, et hæredes: hæredes quidem Dei, cohæredes autem

Christi; si tamen compatimur ut et conglorificemur. Existimo enim quod non sunt condignæ passiones hujus temporis ad futuram gloriam quæ revelabitur in nobis.

IV. — Oratio.

Obsecramus igitur te, Domine, ut exhibeamus, da, corpora nostra hostiam viventem, sanctam, Deo placentem, rationabile obsequium nostrum. Fac ut non conformemur huic sæculo, sed reformemur in novitate sensus nostri, ut probemus quæ sit voluntas tua bona, et beneplacens et perfecta, discamus non plus sapere quam oportet sapere, sed sapere ad sobrietatem et unicuique sicut Tu divisisti mensuram fidei.

Charitate fraternitatis invicem diligamus, honore invicem prævenientes, sollicitudine non pigri, Spiritu ferventes, Tibi servientes, spe gaudentes, in tribulatione patientes, orationi instantes ut vita Jesu manifestetur in nobis.

TITULUS XXX.

JESUS : GAUDIUM ANGELORUM

I. — Adoratio.

Vox angelorum multorum in circuitu throni, et est numerus eorum millia millium, nam elevata est gloria Domini super Cherubim ad limen domus et repletur domus nube et atrium repletur splendore gloriæ Domini, ut ostendat Dominus sacerdotem magnum stantem coram Angelo suo.

Benedictus es qui intueris abyssos et sedes super Cherubim; laudo te toto corde, tota mente, totis viribus, qui, exaltatus super choros Angelorum, ad terrestria regna descendis. Tanto melior Angelis effectus es quanto differentius præ illis nomen hæreditasti; Angelus quidem testamenti vocaris sed tibi dictum est: Filius meus es tu, ego hodie genui te; et adorent eum omnes Angeli ejus. In conspectu Angelorum psallam tibi, adorabo ad templum sanctum tuum et confitebor nomini tuo, super misericordia tua et veritate tua, quoniam magnificasti super omne nomen sanctum tuum.

Intuetur Dominus Jesus abyssos nostras, eas scrutatus est, necessitates nostras ipse expertus est, novus Adam quasi unus ex nobis factus est, ideo exultant Angeli, lætantur Archangeli; vos Angeli Dei, vos, inquam testes estis. Obstupescite et admiramini, fluctuate et vacillate; inebriamini et non a vino, movemini, non ab ebrietate; resonent cœli et terra canticis dicentium voce magna: Dignus est Agnus qui occisus est accipere virtutem, et divinitatem, et sapientiam, et fortitudinem, et honorem et gloriam et benedictionem. O si linguis hominum loquar et Angelorum ut Jesum digne laudem! utinam volaret ad me unus de Seraphim et in manu ejus calculus sumptus de altari et tangeret os meum! Domine, Deus Israel, qui sedes super Cherubim, tu es Deus solus regum omnium terræ; tu fecisti cœlum et terram, tu dominaris omnium. Adorate eum omnes Angeli ejus quoniam Dominus altissimus super omnem terram, ascendit super Cherubim et volavit, præ fulgore in conspectu ejus nubes transierunt, grando et carbones ignis, fulgura multiplicavit et revelata sunt fundamenta orbis terrarum. Benedicite Domino omnes Angeli ejus, sed benedicite et vos,

potentes virtute, facientes verbum illius, ad audiendam vocem sermonum ejus, vos, omnes virtutes ejus, ministri ejus, qui facitis voluntatem ejus. Utinam et nos omnes cadamus coram Agno habentes singuli citharas et phialas aureas plenas odoramentorum, quæ sunt orationes sanctorum!

II. — Gratiarum actio.

Ubicumque fuerit corpus, illuc congregabuntur et aquilæ; illuc enim est cœna nuptiarum Agni et cœtus Angelorum. Inebriabuntur ab ubertate domus Domini et torrente voluptatis suæ potabit eos, aperientur cataractæ cœli magnæ; mandavit enim nubibus desuper et januas cœli aperuit Dominus et pluit illis manna ad manducandum et pane angelorum satiavit eos.

Beatus quem elegisti et assumpsisti, Domine; inhabitabit in atriis tuis, in conspectu Angelorum psallet tibi! Paulominus ab Angelis minoratus, Regem regum et Dominum dominantium in excelso throno gloriæ suæ possidet, Dominum videt sedentem super solium suum et omnem exercitum cœli assistentem ei a dextris et a sinistris. Gloria et honore

coronasti nos, Domine, et constituisti nos super opera manuum tuarum, fecisti nos cives sanctorum et domestici tui, superædificati super fundamentum Apostolorum et Prophetarum, ipso angulari lapide Christo Jesu, consortes Angelorum et fratres eorum. Nam in teipso condita sunt, Domine Jesu et frater noster, universa in cœlis et in terra, visibilia et invisibilia, sive Throni, sive Dominationes, sive Principatus, sive Potestates; omnia per te et in te creata sunt. Attamen inter nos habitas, nos diligis, nos attrahis; de unoquoque nostrum mandasti Angelis tuis ut custodirent nos, ne forte offendat ad lapidem pes noster, de unoquoque nostrum dignaris dicere: Ego ero illi in Patrem et ipse erit mihi in filium. Ecce, panem Angelorum manducavit homo, cibaria misisti nobis in abundantia; ecce, vere magnificatus est homo vehementer, confessionem et decorem induit.

Venite ergo, ne paveatis ad sanctuarium ejus; ad quem enim Angelorum dixit aliquando: Accipite et comedite: hoc est Corpus meum; bibite ex hoc omnes: hic est enim Sanguis meus novi testamenti, qui pro multis effundetur in remissionem peccatorum? Ego vota mea

Domino reddam in conspectu omnis populi ejus, in atriis domus Domini, in medio tui Jerusalem; laudabo Dominum inter sanctos Angelos ejus, in omni loco dominationis ejus benedic, anima mea, Domino.

III. — Propitiatio.

Curam carnis ne fecerimus in desideriis, carnem crucifigamus cum concupiscentiis ejus, animalis homo esse desinamus, ut spiritualis evadere possimus, minusque minoremur ab Angelis et sic eorum societatis participes fiamus. Non habemus enim laicos panes sed tantum panem sanctum. Sed quomodo faciem Domini sustinere poterimus? ecce qui serviunt ei non sunt stabiles, et in Angelis suis reperit pravitatem, quanto magis qui habitant domos luteas, qui terrenum habent fundamentum, consummentur velut a tinea? Multi sequentur eorum luxuriam, per quos via veritatis blasphemabitur et in avaritia fictis verbis de vobis negotiabuntur: quibus judicium jam olim non cessat et perditio eorum non dormitat. Si enim Deus angelis peccantibus non pepercit, sed rudentibus inferni detractos in tartarum tradidit cruciandos, in judicium reservari,

magis autem eos qui post carnem in concupiscentia immunditiæ ambulant. Expedit nobis dicere cum Michaele: Quis ut Deus? necnon cum Petro: Domine, ad quem ibimus? verba vitæ æternæ habes; panis tuus omne delectamentum suavitatis continet et gaudium tuum nemo tollet a nobis.

IV. — Oratio.

Societas mea, Pater, sit cum Filio tuo et Angelis ejus; purifica et renova palatum cordis mei ut inveniam in pane Angelorum omnem suavitatem et, spreto ut stercore omni terrestri gaudio, cum electis ejus merear famulari, et, in carne vivens, cum angelis æmulari possim omnibus diebus vitæ meæ.

TITULUS XXXI.

JESUS: REX PATRIARCHARUM

I. — Adoratio.

Tibi, Deus patrum nostrorum, confiteor, teque laudo. Laudo te, Jesu, Rex et Salvator, qui olim patribus nostris pro-

missus et ab eis magno desiderio exspectatus, apparuisti tandem tempore condicto et omnium vota implevisti. Abraham pater noster exultavit ut videret diem tuum: vidit et gavisus est. Ecce, qui loquebaris ades; loquens olim, Pater, multifaria multisque modis in patriarchis et prophetis, novissimis diebus istis locutus es nobis in Filio quem constituisti hæredem universorum, per quem fecisti et sæcula. Domine, Deus patrum nostrorum, benedicant te cœli et terræ, mareque et fontes et flumina et omnes creaturæ tuæ quæ in eis sunt; magnus et laudabilis es nimis in monte sancto tuo, qui fundatur exultatione universæ terræ, mons Sion civitas Regis magni.

Verbum Domini nostri manet in æternum. Super montem excelsum ascende tu, qui evangelizas Sion: exalta in fortitudine vocem tuam, qui evangelizas Jerusalem: exalta, noli timere. Dic civitatibus Juda: Ecce Deus vester, ecce Dominus Deus in fortitudine veniet, et brachium ejus dominabitur: ecce merces ejus cum eo et opus illius coram illo. Sicut pastor gregem suum pascet, in brachio suo congregabit agnos et in sinu suo levabit, fœtas ipse portabit. Quis mensus est pugillo aquas et cœlos palmo

ponderavit? quis appendit tribus digitis molem terræ et libravit in pondere montes et colles in statera? Quis adjuvit spiritum Domini? aut quis consiliarius ejus fuit, et ostendit illi? Cum quo iniit consilium, et instruxit eum, et docuit eum semitam justitiæ et erudivit eum scientiam et viam prudentiæ ostendit illi? Ecce gentes quasi stilla situlæ, et quasi momentum stateræ reputatæ sunt: ecce insulæ quasi pulvis exiguus. Et Libanus non sufficiet ad succendendum et animalia ejus non sufficient ad holocaustum. Omnes gentes quasi non sint, sic sunt coram eo, et quasi nihilum et inanes reputatæ sunt ei.

Holocausta et oblationes noluit, corpus autem aptavit sibi ut compleret quod locutus est Abraham et semini ejus in sæcula.

II. — Gratiarum actio.

Taceant ad me insulæ et gentes mutent fortitudinem. Et tu, Israel serve meus, Jacob quem elegi, semen Abraham servi mei: in quo apprehendi te ab extremis terræ et a longinquis ejus vocavi te, et dixi tibi: Servus meus es tu, elegi te, et non abjeci te. Ne timeas,

quia ego tecum sum, ne declines quia ego Deus tuus: confortavi te et auxiliatus sum tibi, et suscepit te dextera justi mei. Ecce confundentur et erubescent omnes, qui pugnant adversum te, erunt quasi non sint et peribunt viri qui contradicunt tibi. Quæres eos et non invenies, viros rebelles tuos: erunt quasi non sint et veluti consumptio, homines bellantes adversum te. Quia ego Dominus Deus tuus apprehendens manum tuam, dicensque tibi: Ne timeas, ego adjuvi te. Noli timere, vermis Jacob, qui mortui estis ex Israel: ego auxiliatus sum tibi, dicit Dominus, et redemptor tuus sanctus Israel. Ego posui te quasi plaustrum triturans novum, habens rostra serrantia: triturabis montes et comminues, et colles quasi pulverem pones. Ventilabis eos et ventus tollet et turbo disperget eos et tu exaltabis in Domino, in Sancto Israel lætaberis. Egeni et pauperes quærunt aquas, et non sunt: lingua eorum siti aruit. Ego Dominus exaudiam eos, Deus Israel non derelinquam eos. Aperiam in supinis collibus flumina et in medio camporum fontes; ponam desertum in stagna aquarum, dabo in solitudinem cedrum, et spinam et myrtum et lignum olivæ; ponam in deserto

abietem, ulmum et buxum simul ut videant, et sciant, et recogitent, et intelligant pariter quia manus Domini fecit hoc, et sanctus Israel creavit illud. Prope facite judicium vestrum, dicit Dominus: afferte, si quid forte habetis, dicit Rex Jacob.

III. — Propitiatio.

Ecce servus meus, suscipiam eum: electus meus, complacuit sibi in illo anima mea, dedi spiritum meum super eum, judicium gentibus proferet. Non clamabit neque accipiet personam, nec audietur vox ejus foris, calamum quassatum non conteret et linum fumigans non extinguet: in veritate educet judicium. Non erit tristis neque turbulentus, donec ponat in terra judicium: et legem ejus insulæ exspectabunt. Ego Dominus, hoc est nomen meum: gloriam meam alteri non dabo et laudem meam sculptilibus. Tacui semper, silui, patiens fui, sicut parturiens loquar: dissipabo et absorbebo simul; desertos faciam montes et colles, et omne gramen eorum exsiccabo et ponam flumina in insulas et stagna arefaciam. Et ducam cæcos in viam quam nesciunt, et in semitis, quas ignoraverunt,

ambulare eos faciam; ponam tenebras coram eis in lucem et prava in recta: hæc verba feci eis et non dereliqui eos. Conversi sunt retrorsum: confundantur confusione qui confidunt in sculptili, qui dicunt conflatili: Vos dii nostri. Surdi, audite, et cæci, intuemini ad videndum. Quis cæcus nisi servus meus? et surdus nisi ad quem nuntios meos misi? Quis dedit direptionem Jacob et Israel vastantibus? nonne Dominus ipse cui peccavimus? et noluerunt in viis ejus ambulare, et non audierunt legem ejus. Et effudit super eum indignationem furoris sui, et forte bellum, et combussit eum in circuitu, et non cognovit: et succendit eum, et non intellexit. Non me invocasti, Jacob, nec laborasti in me, Israel, dicit Dominus.

IV. — Oratio.

Effunde, Domine, sicut promisisti Jacob servo tuo et Israel quem elegisti, aquas super sitientem, et fluenta super aridam; effunde spiritum tuum super semen ejus et benedictionem tuam super stirpem ejus et germinabunt quasi silices. Iste dicat: Domini ego sum; et ille vocet in nomine Jacob; et hic scribat manu sua: Domino.

Miserere nostri et vivifica nos, tu qui dixisti: Delevi ut nubem iniquitates tuas et quasi nebulam peccata tua, revertere ad me quoniam redemi te; memento horum, Jacob et Israel, quoniam servus meus es tu.

TITULUS XXXII.

JESUS: MAGISTER APOSTOLORUM

I. — Adoratio.

Est in novissimis diebus istis præparatus mons domus Domini in vertice montium, et elevatur super colles et fluunt ad eum omnes gentes. Et eunt populi multi et dicunt: Venite, et ascendamus ad montem Domini et ad domum Dei Jacob et docebit nos vias suas, et ambulabimus in semitis ejus: quia de Sion exibit lex, et verbum Domini de Jerusalem. Et judicat gentes Dominus et arguit populos multos: et conflant gladios suos in vomeres et lanceas suas in falces: non levabit gens contra gentem gladium, nec exercebunt ultra ad bellum. Domus Jacob, venite, et ambulemus in lumine

Domini; etenim in omnem terram exivit sonus ejus et in fines orbis terræ verba ejus; non sunt loquelæ neque sermones quorum non audiantur voces ejus.

Ingredere in petram et abscondere in fossa humo a facie timoris Domini, et a gloria majestatis ejus: ecce consequitur nos petra; petra autem est Christus. Oculi sublimes hominis humiliati sunt et incurvabitur altitudo virorum: exaltatur autem Dominus solus in die ista, quia dies Domini exercituum super omnem superbum et excelsum. Et nunc hæc dicit Dominus creans te, Jacob, et formans te, Israel: Noli timere, quia redemi te, et vocavi te nomine tuo, meus es tu. Cum transieris per aquas, tecum ero, et flumina non operient te: cum ambulaveris in igne, non combureris, et flamma non ardebit te. Quia ego Dominus Deus tuus sanctus Israel salvator tuus; ex quo honorabilis factus es in oculis meis, et gloriosus: ego dilexi te, et dabo homines pro te et populos pro anima tua. Noli timere, quia ego tecum sum; affer filios meos de longinquo et filias meas ab extremis terræ. Et omnem, qui invocat nomen meum, in gloriam meam creavi eum, formavi eum et feci eum. Educ foras populum cæcum et oculos habentem; sur-

dum, et aures ei sunt. Omnes gentes congregatæ sunt simul, et collectæ sunt tribus: quis in vobis annuntiet istud, et quæ prima sunt audire nos faciet? dent testes eorum, justificentur, et audiant et dicant: Vere. Vos testes mei, dicit Dominus, et servus meus, quem elegi: ut sciatis et credatis mihi et intelligatis quia ego ipse sum. Ante me non est formatus Deus, et post me non erit: ego sum, ego sum Dominus, et non est absque me salvator; ego annuntiavi et salvavi: auditum feci, et non fuit in vobis alienus: vos testes mei, dicit Dominus, et ego Deus.

Et non faciet Dominus avolare a te ultra doctorem tuum: et erunt oculi tui videntes præceptorem tuum.

II. — Gratiarum actio.

Populus qui ambulabat in tenebris vidit lucem magnam: habitantibus in regione umbræ mortis, lux orta est eis. Multiplicasti gentem, non magnificasti lætitiam; lætabuntur coram te sicut qui lætantur in messe, sicut exultant victores capta præda, quando dividunt spolia. Jugum enim oneris ejus, et virgam humeri ejus, et sceptrum exactoris ejus superasti. Quia omnis violenta prædatio

cum tumultu, et vestimentum mixtum sanguine, erit in combustionem et cibus ignis. Parvulus enim natus est nobis, et factus est principatus super humerum ejus: et vocabitur nomen ejus Admirabilis, Consiliarius, Deus, Fortis, Pater futuri sæculi, princeps pacis. Multiplicabitur ejus imperium, et pacis non erit finis: super solium David et super regnum ejus sedebit ut confirmet illud, et corroboret in judicio et justitia, amodo et usque in sempiternum: zelus Domini exercituum faciet hoc. Et judicabit inter populos multos et corripiet gentes fortes usque in longinquum, et concident gladios suos in vomeres, quia omnes populi ambulabunt unusquisque in nomine Dei sui: nos autem ambulabimus in nomine Domini Dei nostri in æternum et ultra. In die illa, dicit Dominus, congregabo claudicantem; et eam, quam ejeceram, colligam, et quam afflixeram; et ponam claudicantem in reliquias, et eam quæ laboraverat, in gentem robustam; et regnabit Dominus super eos in monte Sion ex hoc nunc et usque in sæculum.

Ecce dico vobis: Levate oculos vestros, et videte regiones, quia albæ sunt jam ad messem. Et qui metit, mercedem accipit, et congregat fructum in vitam

æternam: ut, et qui seminat, simul gaudeat, et qui metit. In hoc enim est verbum verum: quia alius est qui seminat, et alius est qui metit. Ego misi vos metere quod vos non laborastis: alii laboraverunt, et vos in labores eorum introistis.

III. — Propitiatio.

Væ mihi, quia tacui, quia vir pollutus labiis ego sum, et in medio populi polluta labia habentis ego habito, et regem Dominum exercituum vidi oculis meis. Et tetigit os meum, et dixit: Ecce tetigit hoc labia tua, et auferetur iniquitas tua, et peccatum tuum mundabitur. Et audivi vocem Domini dicentis: Quem mittam? et quis ibit nobis? Et dixi: Ecce ego, mitte me. Et dixit: Vade et dices populo huic: Audite audientes, et nolite intelligere, et videte visionem et nolite cognoscere.

Ecce fides ex auditu, auditus autem per verbum Christi; et in omnem terram exivit sonus ejus, sed multæ aspides surdæ obturantes aures suas. Sepivit Dominus vineam, et lapides elegit ex illa, et plantavit eam electam, et ædificavit turrim in medio ejus, et torcular extru-

xit in ea; et exspectavit ut faceret uvas, et fecit labruscas. Nunc ergo, habitatores Jerusalem et viri Juda, judicate inter me et vineam meam. Quid est quod debui ultra facere vineæ meæ et non feci ei? an quod exspectavi ut faceret uvas, et fecit labruscas? Væ qui dicitis malum bonum, et bonum malum: ponentes tenebras lucem, et lucem tenebras! Væ tibi qui occidis prophetas!

IV. — Oratio.

Ecce dedisti nobis, Domine, potestatem calcandi supra serpentes et scorpiones et super omnem virtutem inimici et nihil nobis nocebit. Verumtamen fac ut in hoc non gaudeamus, quia spiritus nobis subjiciuntur; gaudeamus autem quod nomina nostra scripta erunt in cœlo. Concede nobis, ut quemadmodum tu fecisti et nos faciamus quia non est discipulus super magistrum, nec apostolus major eo qui misit illum. Adveniat regnum tuum, adducantur tibi oves tuas et fiat unum ovile et unus pastor ut omnes unum sint sicut tu et Pater.

TITULUS XXXIII.

JESUS : DOCTOR EVANGELISTARUM

I. — Adoratio.

Domine Jesu Christe, sapientia æterna et lumen veritatis, ad hoc venisti in mundum et in hoc natus es ut testimonium perhiberes veritati. Sermo tuus veritas est. Qui de terra est terrena loquitur et omnis homo mendax; tu autem de supernis es, sapientia es quæ ex ore Altissimi prodiisti attingens a fine usque ad finem fortiter, et disponens omnia suaviter ; tu es qui vias Dei in veritate doces et non est coram te acceptio personarum. Ad quem ibimus, Domine? verba vitæ æternæ habes; tu es Christus Filius Dei vivi qui in hunc mundum venisti ut per te salvus fieret, nec est in alio aliquo salus.

Nolumus super terram vocare magistrum nisi te et eos de quibus dixisti: Qui vos recipit me recipit, qui vos spernit me spernit. Ipsi enim norunt quod non est discipulus super magistrum, et verborum quæ dixisti: Mea doctrina non

est mea, sed ejus qui misit me; si quis voluerit voluntatem ejus facere, cognoscet de doctrina utrum ex Deo sit, an ego a me ipso loquar. Qui a semetipso loquitur, gloriam propriam quærit; qui autem quærit gloriam ejus qui misit eum, hic verax est, et injustitia in illo non est. Ego non quæro gloriam meam; est qui quærat et judicet. Si ego glorifico meipsum, gloria mea nihil est: est Pater meus qui glorificat me, quem vos dicitis quia Deus vester est, et non cognovistis eum: ego autem novi eum. Et si dixero quia non scio eum, ero similis vobis mendax. Cum exaltaveritis Filium hominis, tunc cognoscetis quia ego sum, et a meipso facio nihil, sed sicut docuit me Pater, hæc loquor: et qui me misit mecum est, et non reliquit me solum, quia ego quæ placita sunt ei facio semper. Qui non diligit me, sermones meos non servat. Et sermonem quem audistis non est meus sed ejus qui misit me, Patris. Hæc locutus sum vobis, apud vos manens: Paracletus autem Spiritus Sanctus, quem mittet Pater in nomine meo, ille vos docebit omnia et suggeret vobis, omnia quæcumque dixero vobis.

II. — Gratiarum actio.

Lætabitur deserta et invia, et exsultabit solitudo, et florebit quasi lilium. Germinans germinabit, et exsultabit lætabunda et laudans; gloria Libani data est ei, decor Carmeli et Saron, ipsi videbunt gloriam Domini, et decorem Dei nostri. Confortate manus dissolutas et genua debilia roborate. Dicite pusillanimis: Confortamini et nolite timere: ecce Deus vester ultionem adducet retributionis: Deus ipse veniet et salvabit vos. Tunc aperientur oculi cæcorum et aures surdorum patebunt, tunc saliet sicut cervus claudus, et aperta erit lingua mutorum, quia scissæ sunt in deserto aquæ, et torrentes in solitudine. Vanum est vobis ante lucem surgere; surgite postquam sederitis qui manducatis panem doloris; ecce oculi vestri tenebantur ne Dominum agnoscerent, ipse autem illuxit in cordibus vestris. Nonne ardens erat cor vestrum dum ipse loquebatur? cumque autem ipse aperuit oculos vestros cognovistis in fractione panis. Ecce, nisi Dominus ædificaverit domum, in vanum laboraverunt qui ædificant eam, nam neque qui plantat est aliquid, neque qui rigat, sed qui incrementum dat,

Deus. Unusquisque autem propriam mercedem accipiet secundum suum laborem. Dei enim sumus adjutores: Dei agricoltura estis, Dei ædificatio estis. Etenim sine ipso nihil possumus facere, nec aliquis potest dicere: Domine Jesu, nisi in Spiritu Sancto; omnia autem possumus in eo qui nos confortat, nec quidquam timemus eo quod ipse nobiscum sit et omnia, ad quæ miserit nos, faciemus. Ipse præibit ante faciem nostram sermonesque confirmabit sequentibus signis virtutis suæ. Nos autem prædicamus Christum crucifixum, Judæis quidem scandalum, gentibus autem stultitiam; ipsis autem vocatis Judæis, atque Græcis, Christum Dei virtutem et Dei sapientiam; quia quod stultum est Dei, sapientius est hominibus, et quod infirmum est Dei, fortius est hominibus. Videte enim vocationem vestram, fratres, quia non multi sapientes secundum carnem, non multi potentes, non multi nobiles: sed quæ stulta sunt mundi elegit Deus ut confundat sapientes, et infirma mundi elegit Deus, ut confundat fortia: et ignobilia mundi, et contemptibilia elegit Deus, et ea quæ non sunt, ut ea quæ sunt destrueret, ut non glorietur omnis caro in conspectu ejus.

III. — Propitiatio.

Et ego, cum venissem ad vos fratres, veni non in sublimitate sermonis, aut sapientiæ, annuntians vobis testimonium Christi. Non enim judicavi me scire aliquid inter vos, nisi Jesum Christum, et hunc crucifixum. Et ego in infirmitate et timore et tremore multo fui apud vos: et sermo meus, et prædicatio mea non in persuasibilibus humanæ sapientiæ verbis, sed in ostensione spiritus et virtutis ut fides vestra non sit in sapientia hominum, sed in virtute Dei. Sapientiam autem loquimur inter perfectos: sapientiam vero non hujus sæculi, neque principum hujus sæculi, qui destruuntur: sed loquimur Dei sapientiam in mysterio, quæ abscondita est, quam prædestinavit Deus ante sæcula in gloriam nostram, quam nemo principum hujus sæculi cognovit: si enim cognovissent; nunquam Dominum gloriæ crucifixissent. Nobis autem revelavit Deus per Spiritum suum: Spiritus enim omnia scrutatur, etiam profunda Dei; Spiritum qui ex Deo est, ut sciamus quæ a Deo donata sunt nobis: quæ et loquimur non in doctis humanæ sapientiæ verbis, sed in

doctrina Spiritus, spiritualibus spiritualia comparantes. Animalis autem homo non percipit ea, quæ sunt Spiritus Dei: stultitia enim est illi, et non potest intelligere; quia spiritualiter examinatur. Imitatores mei estote, fratres, et observate eos qui ita ambulant, sicut habetis formam nostram. Multi enim ambulant, quos sæpe dicebam vobis, nunc autem et flens dico, inimicos crucis Christi, quorum finis interitus, quorum Deus venter est.

IV. — Oratio

Voce mea ad te, Domine, clamavi, effundo in conspectu tuo orationem meam. In deficiendo ex me spiritum meum, et tu cognovisti semitas meas. In via hac qua ambulabam, absconderunt laqueum mihi. Libera me a persequentibus me, educ de custodia anima mea ad confitendum nomini tuo, dirige me in viam rectam et doce me facere voluntatem tuam, quia Deus meus es tu.

TITULUS XXXIV.

JESUS: FORTITUDO MARTYRUM

I. — Adoratio.

Dominus fecit sanctos enarrare omnia mirabilia sua, quæ confirmavit Dominus omnipotens stabiliri in gloria sua. Abyssum, et cor hominum investigavit, et in astutia eorum excogitavit. Cognovit enim Dominus omnem scientiam et inspexit in signum ævi, annuntians quæ præterierunt et quæ superventura sunt, revelans vestigia occultorum. Non præterîbit illum omnis cogitatus et non abscondit se ab eo ullus sermo; magnalia sapientiæ suæ decoravit: qui est ante sæculum et usque in sæculum neque adjectum est.

Multa dicimus et deficiemus in verbis; consummatio autem sermonum ipse est in omnibus; gloriantes ad quid valebimus? ipse enim Omnipotens super omnia opera sua. Terribilis Dominus et magnus vehementer et mirabilis potentia ipsius. Glorificantes Dominum quantumcumque potueritis, supervalebit enim adhuc et admirabilis magnificentia ejus.

Benedicentes Dominum, exaltate illum quantum potestis, major enim est omni laude; exaltantes eum replemini virtute ne laboretis, non enim comprehendetis. Quis videbit eum et enarrabit? et quis magnificabit eum sicut est ab initio? Multa abscondita sunt majora his, pauca enim vidimus operum ejus. Omnia autem Dominus fecit et pie agentibus dedit sapientiam.

Laudemus viros gloriosos et parentes nostros in generatione sua; multam gloriam fecit Dominus magnificentia sua a sæculo. Hereditas sancta nepotes eorum, et in testamentis stetit semen eorum; et filii eorum propter illos usque in æternum manent: semen eorum et gloria eorum non derelinquetur.

II. — Gratiarum actio.

Confitebor tibi, Domine Rex, et collaudabo te Deum Salvatorem meum; confitebor nomini tuo, quoniam adjutor et protector factus es mihi, et liberasti corpus meum a perditione, a laqueo linguæ iniquæ et a labiis operantium mendacium, et in conspectu astantium factus es mihi adjutor. Et liberasti me secundum multitudinem misericordiæ nominis tui a

rugientibus præparatis ad escam, de manibus quærentium animam meam, et de portis tribulationum quæ circumdederunt me: a pressura flammæ, quæ circumdedit me, et in medio ignis non sum æstuatus: de altitudine ventris inferi et a lingua coinquinata, et a verbo mendacii, a rege iniquo, et a lingua injusta: laudabit usque ad mortem anima mea Dominum et vita mea appropinquans erat in inferno deorsum. Circumdederunt me undique et non erat qui adjuvaret. Respiciens eram ad adjutorium hominum, et non erat. Memoratus sum misericordiæ tuæ, Domine, et operationis tuæ, quæ a sæculo sunt, quoniam eruis sustinentes te, Domine, et liberas eos de manibus gentium. Exaltasti super terram habitationem meam et pro morte defluente deprecatus sum. Invocavi Dominum Patrem Domini mei, ut non derelinquat me in die tribulationis meæ, et in tempore superborum sine adjutorio. Laudabo nomen tuum assidue et collaudabo illud in confessione, et exaudita est oratio mea. Et liberasti me de perditione et eripuisti me de tempore iniquo. Propterea confitebor, et laudem dicam tibi et benedicam nomini Domini. Cum adhuc junior essem, priusquam aberrarem, quæ-

sivi sapientiam palam in oratione mea. Ante templum postulabam pro illa, et usque in novissimis inquiram eam; et effloruit tamquam precox uva, lætatum est cor meum in ea. Ambulavit pes meus iter rectum, a juventute mea investigabam eam. Inclinavi modice aurem meam et excepi illam.

III. — Propitiatio.

Fili, accedens ad servitutem Dei, sta in justitia et timore et præpara animam tuam ad tentationem. Deprime cor tuum et sustine, inclina aurem tuam et suscipe verba intellectus et ne festines in tempore obductionis. Sustine sustentationes Dei, conjungere Deo, et sustine, et crescet in novissimo vita tua. Omne quod tibi applicitum fuerit, accipe: et in dolore sustine, et in humilitate tua patientiam habe: quoniam in igne probatur aurum et argentum, homines vero receptibiles in camino humiliationis. Crede Deo et recuperabit te: et dirige viam tuam et spera in illum. Serva timorem illius et in illo veterasce; metuentes Dominum, credite illi et non evacuabitur merces vestra. Qui timetis Dominum, sperate in illum et in oblectationem veniet vobis

misericordia. Qui timetis Dominum, diligite illum et illuminabuntur corda vestra. Respicite, filii, nationes hominum et scitote quia nullus speravit in Domino et confusus est. Quis enim permansit in mandatis ejus et derelictus est? aut quis invocavit eum et despexit illum? Quoniam pius et misericors est Deus et remittet in die tribulationis peccata, et protector est omnibus exquirentibus se in veritate. Væ duplici corde et labiis scelestis, et manibus malefacientibus et peccatori terram ingredienti duabus viis; væ dissolutis corde, qui non credunt Deo, et ideo non protegentur ab eo; væ his qui perdiderunt sustinentiam, et qui dereliquerunt vias rectas et diverterunt in vias pravas. Et quid facient, cum inspicere cœperit Dominus? Qui timent Dominum non erunt incredibiles verbo illius, et qui diligunt illum conservabunt viam illius; qui timent Dominum inquirent quæ beneplacita sunt ei, et qui diligunt eum, replebuntur lege ipsius.

IV. — Oratio.

Judica me, Deus, et discerne causam meam de gente non sancta, ab homine iniquo et doloso erue me. Quia tu es,

Deus, fortitudo mea: quare me repulisti? et quare tristis incedo dum affligit me inimicus? Emitte lucem tuam et veritatem tuam; ipsa me deduxerunt et adduxerunt in montem sanctum tuum, et in tabernacula tua. Et introibo ad altare Dei, ad Deum qui lætificat juventutem meam. Confitebor tibi in cithara, Deus, Deus meus: quare tristis es, anima mea, et quare conturbas me? Spera in Deo, quoniam adhuc confitebor illi: salutare vultus mei, et Deus meus.

TITULUS XXXV.

JESUS : LUMEN CONFESSORUM

I. — Adoratio.

Omnis sapientia a Domino Deo est, et cum illo fuit semper, et est ante ævum. Arenam maris et pluviæ guttas et dies sæculi quis dinumeravit? Altitudinem cœli et latitudinem terræ et profundum abyssi quis dimensus est? Sapientiam Dei præcedentem omnia quis investigavit? Prior omnium creata est sapientia, et intellectus prudentiæ ab ævo.

Fons sapientiæ Verbum Dei in excelsis, et ingressus illius mandata æterna; radix sapientiæ cui revelata est, et astutias illius quis agnovit? Disciplina sapientiæ cui revelata est et manifestata? et multiplicationem ingressus illius quis intellexit? Unus est altissimus Creator omnipotens et Rex potens et metuendus nimis, sedens super thronum illius et dominans Deus. Ipse creavit illam in Spiritu Sancto et vidit, et dinumeravit, et mensus est; et effudit illam super omnia opera sua et super omnem carnem secundum datum suum, et præbuit illam diligentibus se. Timor Domini gloria, et gloriatio, et lætitia, et corona exultationis; timor Domini delectabit cor, et dabit lætitiam et gaudium et longitudinem dierum. Timenti Dominum bene erit in extremis et in die defunctionis suæ benedicetur. Dilectio Dei honorabilis sapientia. Propterea dictum est: Sed cognovi vos quia dilectionem Dei non habetis in vobis: ego veni in nomine Patris mei, et non accipitis me; si alius venerit in nomine suo, illum accipietis. Ambulate dum lucem habetis ne vos tenebræ comprehendant; ego sum lux mundi, qui sequitur me non ambulat in tenebris sed habebit lumen vitæ.

II. — Gratiarum actio.

Sapientiam omnium antiquorum exquiret sapiens et in prophetis vacabit; narrationem virorum nominatorum conservabit et in versutias parabolarum simul introibit. Occulta proverbiorum exquiret et in absconditis parabolarum conversabitur, in medio magnatorum ministrabit et in conspectu præsidis apparebit, in terram alienigenarum gentium pertransiet: bona enim et mala in hominibus tentabit. Cor suum tradet ad vigilandum diluculo ad Dominum, qui fecit illum et in conspectu Altissimi deprecabitur, aperiet os suum in oratione et pro delictis suis deprecabitur. Si enim Dominus magnus voluerit, spiritu intelligentiæ replebit illum, et ipse tamquam imbres mittet eloquia sapientiæ suæ et in oratione confitebitur Domino: et ipse diriget consilium ejus et disciplinam et in absconditis suis consiliabitur. Ipse palam faciet disciplinam doctrinæ suæ et in lege testamenti Domini gloriabitur. Collaudabunt multi sapientiam ejus et usque in sæculum non delebitur; non recedet memoria ejus, et nomen ejus requiretur a generatione in generationem. Sapientiam ejus enarrabunt gentes et laudem ejus enuntiabit Ecclesia.

Florete flores quasi lilium et date odorem et frondete in gratiam et collaudate canticum et benedicite Dominum in operibus suis; date nomini ejus magnificentiam, et confitemini illi in voce labiorum vestrorum, et in canticis labiorum et citharis et sic dicetis in confessione: Opera Domini universa bona valde.

III. — Propitiatio.

Qui timet Deum faciet bona; et qui continens est justitiæ, apprehendet illam, et obviabit illi quasi mater honorificata et quasi mulier a virginitate suscipiet illum. Cibabit illum pane vitæ et intellectus, et aqua sapientiæ salutaris potabit illum; et firmabitur in illo, et non flectetur. Homines stulti non apprehendent illam, et homines sensati obviabunt illi; homines stulti non videbunt eam, longe enim abest a superbia et dolo. Viri mendaces non erunt illius memores, et viri veraces invenientur in illa et successus habebunt usque ad inspectionem Dei. Non est speciosa laus in ore peccatoris: quoniam a Deo profecta est sapientia; sapientiæ enim Dei astabit laus et in ore fideli abundabit et dominator dabit eam illi. Non dixeris: Per Deum

abest: quæ enim odit ne feceris. Non dicas: Ille me implanavit: non enim necessarii sunt ei homines impii. Omne execramentum erroris odit Dominus et non erit amabile timentibus eum. Deus ab initio constituit hominem et reliquit illum in manu consilii sui. Adjecit mandata et præcepta sua: si volueris mandata servare, conservabunt te, et in perpetuum fidem placitam facere. Apposuit tibi aquam et ignem: ad quod volueris, porrige manum tuam; ante hominem vita et mors, bonum et malum: quod placuerit ei dabitur illi; quoniam multa sapientia Dei, et fortis in potentia, videns omnes sine intermissione. Oculi Domini ad timentes eum, et ipse agnoscit omnem operam hominis; nemini mandavit impie agere, et nemini dedit spatium peccandi: non enim concupiscit multitudinem filiorum infidelium et inutilium.

IV. — Oratio.

Quomodo dilexi legem tuam, Domine? tota die meditatio mea est. Super inimicos meos prudentem me fecisti mandato tuo, quia in æternum mihi est. Super senes intellexi, quia mandata tua quæsivi. Lucerna pedibus meis verbum tuum,

et lumen semitis meis; juravi et statui custodire judicia justitiæ tuæ. Humiliatus sum usquequaque, Domine, vivifica me secundum verbum tuum: voluntaria oris mei beneplacita fac, Domine, et judicia tua doce me. Suscipe me secundum eloquium tuum et vivam, et non confundas me ab expectatione mea; adjuva me et salvus ero et meditabor in justificationibus tuis semper. Declaratio sermonum tuorum illuminat, et intellectum dat parvulis; os meum aperui et attraxi spiritum, quia mandata tua desiderabam. Aspice in me et miserere mei, secundum judicium diligentium nomen tuum: faciem tuam illumina super servum tuum et doce me justificationes tuas. Vide quoniam mandata tua dilexi, Domine; in misericordia tua vivifica me.

TITULUS XXXVI.

JESUS: PURITAS VIRGINUM

I. — Adoratio.

Quis ascendet in montem Domini, aut quis stabit in loco sancto ejus? innocens manibus et mundo corde. Ecce sanctam

civitatem, paratam sicut sponsam ornatam viro suo; gaudeamus et exsultemus et demus gloriam Deo, quoniam venerunt nuptiæ Agni et uxor ejus præparavit se. Quid enim bonum ejus est, et quid pulchrum ejus, nisi frumentum electorum et vinum germinans virgines? Hæc est generatio quærentium eum, quærentium faciem Dei Jacob, quibus dicitur: Afferte Domino, filii Dei, afferte Domino gloriam et honorem.

Leva, Domine, in circuitu oculos tuos et vide: omnes isti congregati sunt, venerunt tibi; filii tui de longe venient, et filiæ tuæ de latere surgent: ecce enim lancea latum tuum aperuit et exivit sanguis et aqua ut efformares tibi sponsam non habentem maculam neque rugam.

Hæc dicit Dominus: Recordatus sum tui, miserans adolescentiam tuam, et charitatem desponsationis tuæ, quando secuta es me in deserto, in terra, quæ non seminatur. Et sponsabo te mihi in sempiternum, et sponsabo te mihi in justitia et judicio et in misericordia, et in miserationibus; et sponsabo te mihi in fide; et scies quia ego Dominus. Et erit in die illa: Exaudiam, dicit Dominus, exaudiam cœlos, et illi exaudient terram; et terra exaudiet triticum et

vinum et oleum: et hæc exaudient Jezrahel. Et seminabo eam mihi in terra, et miserebor ejus quæ fuit *Absque misericordia;* et dicam *Non populo meo:* Populus meus es tu: et ipse dicet: Deus meus es tu.

II. — Gratiarum actio.

Elegit Dominus Deus te ut sis ei populus peculiaris de cunctis populis qui sunt super terram; vere gens sancta es, populus acquisitionis. O quam pulchra est casta generatio cum claritate: immortalis enim est memoria illius quoniam et apud Deum nota est, et apud homines. Cum præsens est, imitantur illam: et desiderant eam cum se eduxerit, et in perpetuum coronata triumphat, incoinquinatorum certaminum præmium vincens. Nam et Pater tales quærit qui adorent eum. Confiteor tibi, Pater, quia abscondisti hæc a sapientibus et prudentibus et revelasti ea parvulis; sic, Pater, quoniam ita placitum fuit ante te. Non omnes capiunt verbum istud, sed quibus datum est; qui potest capere capiat.

Laudate Dominum quia bonus Dominus; psallite nomini ejus quoniam suave; quoniam vos elegit sibi Dominus in pos-

sessionem sibi; non fecit taliter omni nationi et judicia sua non manifestavit illis. Gaudete juvenes candidi et virgines quia vobis datum est nosse mysteria regni cœlorum; hoc donum Dei est. Ipse solus hominem supra se tollere ac a corpore mortis hujus liberare potest. Cantate quasi canticum novum ante sedem; nemo potest dicere canticum illud nisi illa centum quadraginta quattuor millia qui empti sunt de terra.

Hoc itaque dico, fratres: Tempus breve est: reliquum est ut et qui habent uxores, tamquam non habentes sint. Qui sine uxore est, sollicitus est quæ Domini sunt, quomodo placeat Deo. Et mulier innupta, et virgo, cogitat quæ Domini sunt ut sit sancta corpore et spiritu. Igitur et qui matrimonio jungit virginem suam, bene facit; et qui non jungit melius facit. Beatior autem erit si sic permanserit secundum meum consilium: puto autem quod et ego Spiritum Dei habeam. Si autem acceperis uxorem non peccasti; et si nupserit virgo, non peccavit. Tribulationem tamen carnis habebunt hujusmodi.

III. — Propitiatio.

Nescitis quod ii, qui in stadio currunt, omnes quidem currunt, sed unus accipit bravium? Sic currite ut comprehendatis. Omnis autem, qui in agone contendit, ab omnibus se abstinet, et illi quidem ut corruptibilem coronam accipiant: nos autem incorruptam. Ego igitur sic curro, non quasi in incertum: sic pugno, non quasi aerem verberans sed castigo corpus meum et in servitutem redigo: ne forte cum aliis prædicaverim, ipse reprobus efficiar. Nescitis quoniam corpora vestra, membra sunt Christi? Tollens ergo membra Christi, faciam membra meretricis? Absit. An nescitis quoniam qui adhæret meretrici, unum corpus efficitur? Erunt enim, inquit, duo in carne una. Qui autem adhæret Domino, unus spiritus est.

Si dimiserit vir uxorem suam, et recedens ab eo, duxerit virum alterum, numquid revertetur ad eam ultra? numquid non polluta et contaminata erit mulier illa? tu autem fornicata es cum amatoribus multis: tamen revertere ad me, dicit Dominus, et ego suscipiam te. Leva oculos tuos in directum, et vide ubi non prostrata sis: in viis sedebas, exspectans

eos quasi latro in solitudine. Ergo saltem amodo voca me: Pater meus, dux virginitatis meæ tu es: numquid irasceris in perpetuum aut perseverabis in finem? Vade et clama sermones istos contra aquilonem et dices: Revertere, aversatrix Israel, ait Dominus, et non avertam faciem meam a vobis; quia sanctus ego sum, dicit Dominus, et non irascar in perpetuum. Verumtamen scito iniquitatem tuam, quia in Dominum Deum tuum prævaricata es: et dispersisti vias tuas alienis sub omni ligno frondoso, et vocem meam non audisti, ait Dominus. Convertimini, filii revertentes, dicit Dominus, quia ego vir vester, et assumam vos unum de civitate, et duos de cognatione, et introducam vos in Sion. Et dabo vobis pastores juxta cor meum, et pascent vos scientia et doctrina.

IV. — Oratio.

Domine, ne in furore tuo arguas me, neque in ira tua corripias me. Miserere mei, Domine, quoniam infirmus sum: sana me, Domine, quoniam conturbata sunt ossa mea et anima mea turbata est valde: sed tu, Domine, usquequo? Convertere, Domine, et eripe animam meam,

salvum me fac propter misericordiam tuam. Laboravi in gemitu meo, lavabo et rigabo lacrymis meis stratum meum per singulas noctes.

TITULUS XXXVII.

JESUS : CORONA SANCTORUM OMNIUM

I. — Adoratio.

Noli timere: ego protector tuus sum et merces tua magna nimis. In domo Patris mei mansiones multæ sunt: si quominus dixissem vobis, quia vado parare vobis locum. Vos autem estis qui permansistis mecum in tentationibus meis; et ego dispono vobis sicut disposuit mihi Pater meus regnum, ut edatis et bibatis super mensam meam in regno meo: et sedeatis super thronos judicantes duodecim tribus Israel.

Ecce enim sedes posita erat in cœlo, et supra sedem sedens; et qui sedebat similis erat aspectui lapidis jaspidis et sardinis, et iris erat in circuitu sedis, similis visioni smaragdinæ. Et in circuitu sedis

sedilia viginti quatuor, et super thronos viginti quator seniores sedentes, circumamicti vestimentis albis, et in capitibus cedebant fulgura et voces et tonitrua: et septem lampades ardentes ante thronum, qui sunt septem spiritus Dei; et in conspectu sedis tamquam mare vitreum simile crystallo: et in medio sedis, et in circuitu sedis, quatuor animalia plena oculis ante et retro. Et cum darent illa animalia gloria et honorem et benedictionem sedenti super thronum, viventi in sæcula sæculorum, procidebant viginti quatuor seniores ante sedentem in throno, et adorabant viventem in sæcula sæculorum et mittebant coronas suas ante thronum dicentes: Dignus es, Domine Deus noster, accipere gloriam, et honorem, et virtutem, quia tu creasti omnia et propter voluntatem tuam erant, et creata sunt.

II. — Gratiarum actio.

Vincenti dabo edere de ligno vitæ, quod est in paradiso Dei mei.

Tradet nobis Dominus locum in quo nullius est rei penuria; lætatus sum in his quæ dicta sunt mihi: in domum Domini ibimus in qua sedes Dei et Agni

erunt et servi ejus servient illi et videbunt faciem ejus, et nomen ejus in frontibus eorum. Quemadmodum desiderat cervus ad fontes aquarum, ita desiderat anima mea ad te, Deus; sitivit anima mea ad Deum fortem, vivum; quando apparebo ante faciam suam? Panem quoque de cœlo dedisti eis, Domine, in fame eorum, et aquam de petra eduxisti eis sitientibus, et dixisti ut ingrederentur et possiderent terram, super quam levasti manum tuam ut traderes eis. Benedicite Dominum, omnes electi ejus, agite dies lætitiæ et confitemini illi. Ipse enim Spiritus testimonium reddit spiritui nostro, quod sumus filii Dei; si autem filii, et hæredes: hæredes quidem Dei, cohæredes autem Christi: si tamen compatimur ut et conglorificemur. Existimo enim quod non sunt condignæ passiones hujus temporis ad futuram gloriam, quæ revelabitur in nobis: oculus non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit, quæ præparavit Deus iis qui diligunt illum. Qui vicerit, ait Dominus, dabo ei sedere mecum in throno meo, sicut et ego vici et sedi cum Patre meo in throno ejus. Qui habet aurem, audiat quid spiritus dicat ecclesiis.

In mundo pressuram habebitis, sed

confidite: ego vici mundum. Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem sæculi.

III. — Propitiatio.

Esto fidelis usque ad mortem, et dabo tibi coronam vitæ. Scio opera tua; quia neque frigidus es, neque calidus: utinam frigidus esses, aut calidus; sed quia tepidus es, et nec frigidus, nec calidus, incipiam te evomere ex ore meo. Quia dicis: Quod dives sum et locupletatus, et nullius egeo: et nescis quia tu es miser, et miserabilis, et pauper, et cæcus, et nudus. Suadeo tibi emere a me aurum ignitum probatum, ut locuples fias, et vestimentis albis induaris, et non appareat confusio nuditatis tuæ, et collyrio inunge oculos tuos ut videas. Ego quos amo, arguo, et castigo. Æmulare ergo, et pœnitentiam age. Ecce sto ad ostium, et pulso: si quis audierit vocem meam, et aperuerit mihi januam, intrabo ad illum, et cœnabo cum illo, et ipse mecum. Ecce, turba adest magna ante thronum Dei, quam dinumerare nemo potest, ex omnibus gentibus et tribubus et populis et linguis, stantes ante thronum, et in conspectu Agni, amicti stolis albis et

palmæ in manibus eorum: et clamant voce magna dicentes: Salus Deo nostro, qui sedet super thronum, et Agno. Hi empti sunt de terra, jam panem sicut nos comederunt in tribulatione, et in ærumnis: speraverunt in Domino et non sunt confusi, crucifixerunt carnem cum concupiscentiis suis, nunc vero sedent super thronum. Nescitis quod ii, qui in stadio currunt, omnes quidem currunt, sed unus accipit bravium? Sic currite ut comprehendatis. Omnis autem, qui in agone contendit, ab omnibus se abstinet. et illi quidem ut corruptibilem coronam accipiant: nos autem incorruptam. Ego igitur sic curro, non quasi in incertum: sic pugno, non quasi aerem verberans, sed castigo corpus meum et in servitutem redigo, ne forte cum aliis prædicaverim, ipse reprobus efficiar. Nam et qui certat in agone non coronatur nisi legitime certaverit. Pascite qui in vobis est gregem Dei, providentes non coacte sed spontanee secundum Deum: neque turpis lucri gratia, sed voluntarie, neque ut dominantes in cleris, sed forma facti gregis ex animo; et cum apparuerit princeps pastorum, percipietis immarcescibilem gloriæ coronam. Humiliamini igitur sub potenti manu Dei, ut vos

exaltet in tempore visitationis; omnem sollicitudinem vestram projicientes in eum, quoniam ipsi cura est de vobis. Sobrii estote et vigilate, quia adversarius vester diabolus tamquam leo circuit quærens quem devoret: cui resistite fortes in fide. Deus autem omnis gratiæ, qui vocavit nos in æternam suam gloriam in Christo Jesu, modicum passos ipse perficiet, confirmabit, solidabitque. Ipsi gloria et imperium in sæcula sæculorum. Amen.

IV. — Oratio.

Exaudi, Deus, deprecationem meam: intende orationi meæ. A finibus terræ ad te clamavi; dum anxiaretur cor meum, in petra exaltasti me. Deduxisti me, quia factus es spes mea, turris fortitudinis a facie inimici; inhabitabo in tabernaculo tuo in sæcula, protegar in velamento alarum tuarum. Quoniam tu, Deus meus, exaudisti orationem meam, dedisti hæreditatem timentibus nomen tuum. Sic psalmum dicam nomini tuo in sæculum sæculi, ut reddam vota mea de die in diem. Amen.

APPENDIX

EX SS. PATRUM SCRIPTORUMQUE DICTIS

JESUS, PASTOR BONUS ET PANIS OVIUM

I. — Ad actionem latreuticam.

1) Gregarius agnus ex legis constituto sacrificabatur: hic vero Christus ipse Agnus Dei offertur; illic ovis de ovili, hic autem vice ovis, ipse est Pastor bonus, qui animam suam posuit pro ovibus suis; illic signum aspersi sanguinis brutæ animantis, salubre universi populi amuletum fuit; hic autem pretiosus Christi Sanguis pro mundi salute effunditur. — 2) Præbebit se tibi ovem Christus qui et Sacerdos et Hostia, et

1) S. Proclus, Ep. Constant., *serm. 3 in Pasch.*
2) S. Paulinus, Ep. Nol., *in epist. 5 ad Severum Presb.*

Agnus et Pastor est; qui pro ovibus Pastor, et pro Pastoribus suis Agnus occisus est. Ipse enim Dominus Hostia omnium sacerdotum est, qui semetipsum pro omnium reconciliatione Patri libans, victima sacerdotii sui, et sacerdos suæ victimæ fuit. — 3) Quid enim bonum ejus? frumentum electorum et vinum germinans virgines, intelligimus Dominum Salvatorem, qui loquitur in Evangelio: Nisi granum tritici cadens in terram mortuum fuerit, ipsum solum permanet; sin autem moriatur, majores fructus affert. De hoc tritico dicitur ille Panis, qui de cœlo descendit, et qui confirmat cor hominis. Qui frumentum est electorum, ipse est et vinum, quod lætificat cor hominis. — 4) In pane ideo celebratur, quia Christus est Panis, qui de cœlo descendit. Nec mirum, si caro Christi panis dicitur, dum et caro sub specie panis visibili, nihil aliud, quam caro porrigitur. Sed caro, quia in eadem carne passus, in veritate creditur. Panis vero, quia granum frumenti cadens in terram, et nos ex ipso nihil aliud, quam frumen-

3) S. Hier., *Comment. in Zachar.* c. 9, v. 17.

4) S. Paschasius Radbert., *lib. de Corp. et Sang. Dom.* c. 10.

tum per fidem genuit. Unde per hoc seipsum suis membris ex se natis vitam præbuit et præstando nobis nihil aliud quam panis æternus fuit. Nihil enim ad figuram manifestius, nihil ad mysterium evidentius. Granum multa grana de se genuit. Quæ nimirum grana nihil aliud sunt quam frumentum quod in horreum coacervatur. Unde mira in ipso nostræ naturæ unitas prædicatur. Nam omnes novimus, quod panis unus ex multis naturaliter granis efficitur; ex quo nostra in Christo unitas commendatur et figura veritatis in mysterio approbatur. Ad hoc quippe illud unum mortuum est in terra, ut ex ejus pinguedine nos fœcundaremur, quia, ut ipse ait, nisi mortuum fuerit, ipsum solum maneret. Nunc vero, qui mortuus resurrexit, multum jam fructum affert in se credentibus.

II. — Ad gratiarum actionem.

1) Ego sum Ostium ovium. Vos Dominus proprias suas oves absque ullo adulationis fuco appellavit: oves, inquam, proprias, utpote lanigeras beneficentia erga pauperes; utpote abun-

1) S. Athanasius (vide Combefis. T. IV, p. 130).

dantes lacte nutricantis sermonis; utpote pastas Corpore Domini... Ostium semetipsum Dominus appellat, et recte quidem Ostium: habet enim duos postes, vetus et novum testamentum: domum Ecclesiam; mensam Altare; panem Agnum. — 2) Pastor bonus pro ovibus suis animam positurus, atque dispensationis suæ cursu expleto, ad Patrem rediturus, quia gregi suo indissolubili vinculo caritatis connexus erat, nec præsentia corporali diu ab eo abesse poterat... assumit panem in manibus, et divinæ benedictionis ac Verbi, quod ipse est, effectu, vertit in Corpus suum. — 3) Manifestum est, eos vivere, qui Corpus Christi attingunt. Unde etiam timendum est ne, dum diu quisque separatur a Christi Corpore alienus remaneat a salute, ipso dicente: Nisi manducaveritis Carnem Filii hominis... non habebitis vitam in vobis. — 4) Illud manducare, refici est; sed sic reficeris, ut non deficiat unde reficeris. Illud bibere, quid est nisi vivere? Manduca Vitam, bibe Vitam; habebis Vitam, et in-

2) Franco-Affligen., *lib. 10 de gratia Dei.*
3) S. Isidorus Hispal., *lib. I de offic. eccles.* c. 18.
4) S. Beda, *exposit. epist. I ad Cor.*, c. 10.

tegra est Vita. — 5) Ipsa Veritas ad discipulos, *Hæc*, inquit, *caro mea est pro mundi vita*. Et ut mirabilius loquar, non alia plane, quam quæ nata est de Maria, et passa in cruce, et resurrexit de sepulcro: hæc, inquam, ipsa est, et ideo Christi caro est, quæ pro mundi vita adhuc hodie offertur: et cum digne percipitur, vita utique in nobis æterna reparatur. — 6) Quis non illic cupiat pasci? Nihil ibi formidatur, nihil fastiditur, nihil deficit. Tuta habitatio Paradisus: dulce pabulum Verbum: opulentia multa nimis æternitas. Habeo et ego Verbum, sed in Carne: et mihi apponitur Veritas, sed in Sacramento. Angelus nudo saturatur grano: me oportet interim quodam Sacramenti cortice esse contentum.

III. — Ad propitiationem.

1) Sicut Christus pro nobis animam suam posuit, sic et nos debemus pro fratribus animas ponere. *Debemus* dixit Joannes in epistola sua: debitores nos fecit, qui primus exhibuit. Ideo (Prov. 26) scriptum est: Si sederis cœnare ad men-

4) S. Paschasius Radbert., *De Corp. et Sang. Dom.* c. 1
5) S. Bernardus, *serm. 33 in Cant.*
1) S. Aug., *tract. 47 in Ioan.* c. 10.

sam Potentis, sapienter intellige, quæ apponuntur tibi: sciens, quia talia te oportet præparare. Mensa potentis quæ sit, nostis. Ibi est Corpus et Sanguis Christi. Qui accedit ad talem mensam, præparat talia. Et quid est, Præparat talia? Quomodo ipse pro nobis animam suam posuit, sic et nos debemus, ad ædificandam plebem et asserendam fidem, animas pro fratribus ponere. Ideo Petro, quem facere volebat pastorem bonum ait: Petre, amas me? Pasce oves meas. Hoc semel, hoc iterum, hoc tertio, usque ad ejus tristitiam. — 2) Fratres presbyteri et sacerdotes Domini! Nos pastores vestri sumus: vos pastores animarum vobis commissarum. Nos de vobis rationem reddituri sumus summo Pastori Domino Jesu Christo: vos de plebibus vobis commissis. Et ideo, carissimi! videte periculum vestrum... Imprimis admonemus, ut vita et conversatio vestra irreprehensibilis sit... Missarum celebrationes religiose peragite. Corpus et Sanguinem Domini cum timore et reverentia sumite. — 3) Solaribus radiis puriorem esse oportet sacerdotis animam. Nam

2) S. Uldaricus, Ep. Augustan., V. Labbe, T. VII, p. 1316.
3) S. Ioan. Chrysost., *lib.* 3 *de sacerd.*

qui pro universa terra oratorem agit, Deo supplicans, ut omnium peccatis sit propitius... qualem, quæso, oportet esse? Etenim ac si mundus totus sibi concreditus sit, sic ad Deum accedit... Cum autem Spiritum Sanctum invocaverit et horrendum illud Sacrificium obtulerit et communem omnium Dominum assidue tractaverit; quo illum, quæso, in ordine constituemus? quamnam ab illo puritatem, quam pietatem exigemus? — 4) Agnus Dei verus Christus est... hujus carnem tam fideles in mysterio, quam simul universi credentes in fide, ita debemus edere, ut non solum præcinctos habeamus castitate lumbos, verum etiam calceati simus, ut ait Apostolus, in præparatione evangelii pacis. — 5) Pascha Domini in azymis sinceritatis et veritatis legitime celebratur, dum fermento veteris malitiæ abjecto, nova creatura de ipso Domino inebriatur et pascitur. Non enim aliud agit participatio Corporis et Sanguinis Christi, quam ut in id quod sumimus, transeamus: et in quo mortui et consepulti et conresuscitati sumus, ipsum per omnia et spiritu et carne gestemus.

1) S. Gaudentius Ep. Brixiens., *tract. 5 ad Neophyt.*
2) S. Leo Magn., *serm. 14 de Pass. Dom.*

IV. — Ad impetrationem.

Pastor omnium amantissime, qui oves, ab errore viarum ad pascua tua redeuntes, non modo non aspernaris, sed earum etiam in amplexus ruis, et de reditu magnopere gratularis: Pastor vigilantissime! insonet, oro, vox tua in auribus nostris, quæ a gravi vitiorum sopore nos excitet, et ad pœnitentiam adducat. Gloriam clementiæ tuæ celebret universus terrarum orbis; misericordiæ siquidem tuæ vitam peccatores acceptam referunt. Gloriam tuam omni prædicatione majorem fateantur justi, quorum precibus mansuetudini cedere gaudet indignatio tua. Laudibus tuis ubique pœnitentes faveant, quia de ipsorum emendatione summopere delectaris, perinde ac si eam non solum ipsis sed et tibi, gloriæ futuram arbitrareris. Omnis demum ætas et ordo gloriam tuam, Domine, summis laudibus prosequatur.

Procul ab Ecclesia repelle vim et insidias hostium. Abige seductores vaniloquos, impostores vaferrimos, fures et latrones, lupis haud absimiles, qui non veniunt, nisi ut furentur, et mactent et perdant. Suppliciter obsecramus te,

ne tradas bestiis animas confitentes tibi. Dirige semper oves tuas in pascua saluberrima, ut vitam habeant in via et abundantius habeant in patria.

Anima Christi, sanctifica me ut sis vita et anima animæ meæ; quia sine te vita nostra, mors potius dicenda quam vita: *Corpus Christi, salva me* per thesauros sapientiæ et scientiæ Dei absconditos; manus, quorum attactu sanabantur infirmi, speciosi pedes evangelizantis pacem, pectus amabile dilectionis sacrarium; *Sanguis Christi, inebria me* ut tuo saginatus dulcore in te uno reperiam omne delectamentum ut usque ad sanguinem resistam adversus peccatum repugnans: *Aqua lateris Christi, lava me* ab iniquitate mea et a peccato meo munda me, ut super nivem dealbatum admitti merear ad sacrarium Dei, ex quo manasti; *Passio Christi, conforta me* ut eo plus pati cupiam, quo minus condignæ sunt passiones hujus sæculi ad futuram gloriam.

O bone Jesu, exaudi me, salvum me fac dextera tua, et exaudi me ut ad dexteram tuam inveniar inter oves; *Intra vulnera tua absconde me,* ab indignatione Patris tui; *ne permittas me separari a te* qui toties me tibi junxisti;

ab oste maligno defende me, qui tanquam leo rugiens circuit, quærens quem devoret; *in hora mortis meæ voca me* et esto mihi viaticum et ostium ad pascua vitæ æternæ; *et jube me venire ad te* quia Pater tuus traxit me; *ut cum sanctis tuis laudem te* ducem et pastorem in hymnis et canticis in sæcula sæculorum.

RESURRECTIO CHRISTI

I. — Ad actionem latreuticam.

1) Audi, quid Angeli dicant mulieribus: *Surrexit Dominus*. Hæc omnia vere esse, sicut gesta referuntur, firmissime crede... Fidei oculus, cum in corde cujuspiam clare ac liquide lucis instar effulserit, pure quoque atque sincere Dei Agnum contemplatur; qui pro nobis occisus ac immolatus est, donavitque nobis Corpus suum sanctum et immaculatum ut eo vescamur; sitque nobis ipsius participatio in remissionem peccatorum. —

1) S. Ephræm Syr., *serm. adv. scrutat.*

Crede Christi carnem in mysterio Altaris tam vere præsentem, sicut Apostolis præsens fuit Dominus in resurrectione ab eis adoratus. — 2) Adorate scabellum pedum ejus: Per scabellum terra intelligatur, per terram autem Caro Christi, quam hodie quoque in mysteriis adoramus et quam apostoli in Domino Jesu, adoraverunt. — 3) Quomodo adorabimus terram cum dicat aperte Scriptura: *Dominum Deum tuum adorabis?* Et hic dicit : *Adorate scabellum pedum ejus.* Exponens autem mihi quod sit scabellum pedum ejus (Is. 66, 1) dicit: *Terram autem scabellum pedum meorum.* Anceps factus sum; timeo adorare terram ne damnet me, qui fecit cœlum et terram. Rursus timeo non adorare scabellum pedum Domini mei quia psalmus mihi dicit: adorate scabellum pedum ejus. Fluctuans converto me ad Christum, quia ipsum quæro hic; et invenio, quomodo sine impietate adoretur terra, sine impietate adoretur scabellum pedum ejus. Suscepit enim de terra terram, quia caro de terra est, et de carne Mariæ Carnem accepit. Et quia in ipsa Carne hic am-

2) S. Ambr., *lib. 3 de Spir. Sancto* c. 12, in Ps. 98.
3) S. Aug., *tract. sup. Ps. 98.*

bulavit et ipsam carnem nobis manducandam ad salutem dedit; nemo autem illam Carnem manducat nisi prius adoraverit: inventum est, quemadmodum adoretur scabellum pedum Domini, et non solum non peccemus adorando, sed peccemus non adorando ut autem recte adores crede et dic: credo, Domine; et procidens in infima cordis tui adora. — 4) Animæ eorum qui virtuti student, quanto purgantur magis, eo magis Deum agnoscunt. Sed manifestius eis in fractione Panis aperitur, hoc est in tremendi Communione mysterii. — 5) Dominus apparuit in fractione panis, his qui eum peregrinum esse putantes, ad hospitium vocaverunt. Aderit et nobis in fractione panis, cum sacramentum Corporis ejus videlicet Panis vivi, casta ac simplici conscientia sumimus. — 6) Oculi eorum tenebantur ne eum agnoscerent... Nobis per hæc oportebat ostendi, quoniam, quamdiu peregrinamur a Domino non habemus eum cernere, nisi in peregrina specie; licet non aliud quam ipsum habeamus in hoc sacramento.

4) Theoph. Ep. Taur. (sec. IX) *hom. 32.*

5) S. Beda, *homil. in Ev. Matth.* c. 28, v. 16.

6) Guitmund., Ep. Avers., *lib. I de verit. Corp. et Sang. Dom.*

II. — Ad gratiarum actionem.

1) In resurrectione Christi regis accipimus veniam, Alleluja: Virtutes cœlorum stant nobiscum in medio sanctuarii, et ministerium exhibent Corpori Filii Dei, qui immolatus est coram nobis. Accedite, accipite ex eo remissionem peccatorum... alleluja. Benedictus Dominus, qui dedit nobis Corpus et Sanguinem suum vivum, ut per illa veniam consequamur. — 2) Apparuit Jesus; videbatur et non agnoscebatur. Ubi voluit agnosci? In fractione panis. Noluit agnosci, nisi ibi, propter nos, qui non eum visuri eramus in Carne et tamen manducaturi ejus Carnem. Quisquis ecclesiam ingrederis, consoletur te fractio Panis... Cum illis ambulabat Vita sed in eorum cordibus nondum erat Vita... In panis fractione cognoscitur, quia ibi Vita æterna percipitur. Hospitio suscipitur, qui domum parat in cœlo. — 3) Ipse est Cibus... Ipse clamat e cœlo: Ecce ego quem mortuum lugebatis, mortuus quidem fui

1) Liturgia S. Iac. Ap. apud Bonc. Theol. T. VIII, pagina 348.

2) S. Fulgentius Ep. Rusp., *hom. 35 de 2° die Paschae.*

3) Guarricus, Ab. Igniac., *serm. I de Resurr. Dom.*

propter vos: sed ecce vivo: Venite ad me, qui laboratis fame, et ego reficiam vos. — 4) Sicut Christus in Emmaus peregrinus apparuit in specie; sic nobis peregrinus in mundi exilio, peregrina specie apparet in sacramento; ut quia, quod de nobis exterius apparet, mortale est, mortalitatis cibus ipse exterius videatur; cum tamen per ipsum qui immortalitatis est alimonia, intus vere et invisibiliter mors æterna sanetur. — 5) Quid est autem proprium illorum qui manducant Panem et bibunt poculum Dei? servare perpetuam memoriam illius, qui pro nobis mortuus est et resurrexit. Quid est proprium eorum qui talem servant memoriam? Ut jam non sibi vivant, sed ei, qui pro ipsis mortuus est et resurrexit. — 6) Ipse baptizatos ut amicos ac fratres amplexatur. Ipse eorum corda ac animos lætitia gaudioque implet. Ipse regeneratos Spiritus Sancti unguento ungit, ipse eorum et nutritius efficitur et cibus.

4) Algerius Leodiensis, *lib. 2 de sacr. Corp. et Sang. Dom.* c. 5.

5) S. Basilius Ep. Caesar., *sent. moral. reg. 80*, c. 22.

6) S. Greg. Ep. Antioch., *serm. de resurr. Dom.* (Combefis, T. V, p. 371).

III. — Ad propitiationem.

1) Apostolus dicit: Expurgate vetus fermentum... etenim Pascha nostrum immolatus est Christus. In die prima non erit fermentum in domibus vestris; prima namque hujus solemnitatis dies est, quoties ad participandam Christi Carnem et Sanguinem accedimus. — 2) Cum tremore et reverentia accedamus. An nescitis quomodo angeli adstiterint sepulcro, Corpus non habenti, sepulcro vacuo? Attamen cum semel totum Corpus Domini recepisset multum honoris ipsi adeo loco exhibent. Nos non ad sepulcrum inane, sed ad ipsam mensam, in qua Agnus positus est, adituri, cum tumultu accedimus. Non dico hæc temere; sed cum videre soleam multos tumultuantes, sese mutuo trudentes... ea de causa hanc admonitionem instituo. — 3) Mulierem, accurrentem ad se, prohibet Christus, et pedes amplecti volentem non sinit. Cujus rei causam aperiens, dicit: *Nondum ascendi ad Patrem meum.* Quid

1) S. Bruno, Ep. Signiens., *exposit. in Exod.* c. 12.
2) S. Chrysost., *hom. de cœmet.*
3) S. Cyrill. Alexandr., *lib. 12 Comm. in Ioann.* 20.

ista sibi velint, quærendum nobis. Ante salutarem crucem et resurrectionem cum publicanis et peccatoribus epulabatur. Postquam autem a mortuis revixit, arcet demum, nec amplius quibusvis ad se accedentibus, sanctam ipsius Carnem accedere permittit; ... nisi Spiritus Sanctus in nobis habitet per fidem et sanctum baptisma. Nonne ergo Mariam oportebat a tangendo sacro Corpore arceri, cum Spiritum nondum accepisset? Tametsi enim Christus excitatus erat a mortuis, nondum tamen Spiritus datus erat hominibus... Cum itaque nondum missus esset Spiritus Sanctus, idcirco Mariam abigit, ut quæ nondum Spiritum accepisset, dicens: *Noli me tangere, nondum enim ascendi ad Patrem meum*, id est, nondum Spiritum Sanctum misi ad vos. Inde sancta Ecclesia exemplum sumpsit: quippe a sacra Mensa etiam arcemus eos, qui Deitatem quidem ejus agnoscunt et fidem jam professi sunt, id est, catechumenos: sed nondum tamen Spiritu Sancto ditati sunt; nec enim in iis qui nondum baptizati sunt inhabitat. Postquam autem Sancti Spiritus facti sunt participes, tunc Salvatorem quoque nostrum Christum tangere nihil prohibet. Quapropter iis qui Eulogiæ mysticæ fieri

volunt participes, divinorum mysteriorum ministri inclamant; *Sancta Sanctis*, docentes Sanctorum participationem decere eos, qui sanctificati sint in Spiritu. — 4) Panis vitæ Christus est; et Panis hic omnium non est, sed fidelium pieque sumentium. Sicut enim Deus Pater proprie credentium est; sic Christus, Deus et Dominus noster, Dei Filius, eorum qui Corpus ejus cum fide suscipiunt, Panis est.

IV. — Ad supplicationem.

Concede nobis, quæsumus, misericors Deus, ut expurgato veteri fermento malitiæ et nequitiæ, in azymis sinceritatis et veritatis, Pascha nostrum epulemur, et in novitate vitæ constanter ambulemus. Fac, optime Pater, ut accedentes ad Mensam tuam, digne comedamus Agnum paschalem et optatos istius sacramenti effectus sentiamus. Præsta, ut quicunque consurreximus cum Christo, quæ sursum sunt quæramus, non quæ super terram, et curramus ad propositum nobis certamen, aspicientes fidei oculis in Jesum nostrum, qui certamine pro

4) Gezo, Abb. Derton., *lib. de Corp. et Sang. Dom.* c. 48.

nobis inito, sustinuit crucem, confusione contempta, et tertia die resurrexit a mortuis.

Pater clementissime! da nobis patientiæ virtutem ut quæmadmodum oportuit pati Christum et ita intrare in gloriam suam, sic etiam nos Christi sectatores alacriter insistamus ejus vestigiis, et peregrinantium more, per viam crucis indefesse curramus ad cœlestem patriam. Credimus autem, augustissime Pater, quod non sunt condignæ passiones hujus sæculi ad futuram gloriam, quæ revelabitur in nobis. Sincere cupimus communicare Christi passionibus, ut et in revelatione gloriæ ejus gaudeamus exultantes. Peregrinantis Ecclesiæ oramus clementer respicias corpus, ejusque membra propitius tuearis, infirma consolides, solidata corrobores, corroborata semper ad meliora incites, incitatis denique perseverandi auxilium præstes.

Domine Jesu qui mori dignatus es propter peccata nostra et resurrexisti propter justificationem nostram, rogo te per gloriosam resurrectionem tuam ut resuscites me et des mihi quotidie partem in resurrectione prima ut ibi portionem percipere merear in resurrectione secunda. Conforta me hujus sacramenti

virtute ut in sudore vultus mei strenue progrediar in via salutis æternæ, donec perveniam in regnum tuum; confirma hanc familiam tuam ut quæ nomine tuo signata atque sacro liquore mundata existit, etiam tuo Corpore et Sanguine satiatam se gaudeat atque redemptam.

BENIGNITAS ET HUMANITAS SALVATORIS NOSTRI DEI IN RESURRECTIONE ET IN EUCHARISTIA

I. — Ad actionem latreuticam.

1) Annuntiantes mortem unigeniti Filii Dei, hoc est, Jesu Christi, et ex mortuis Resurrectionem confitentes, incruentum in ecclesiis sacrificium celebramus. Accedimus etiam ita ad mysticas benedictiones et sanctificamur participes facti tam sanctæ Carnis, quam venerabilis Sanguinis omnium nostrum Salvatoris Christi; et non ut carnem communem accipientes, (absit), neque ut viri san-

1) Epist. synod. S. Cyrilli Episc. Alexandr., in Concil. Const. II.

ctificati et conjuncti Verbo... sed ut vivificam vere et suam ipsius Verbi. Vita enim existens secundum naturam ut Deus, quoniam factus est unum cum sua Carne, vivificam eam ostendit. — 2) Problema erat, *De comedente exivit cibus* (Judic. 14, 14). Immanis corporum bellua mors est, quæ Domini etiam Corpus devoravit, quando ille sponte sua mortem gustavit. Hoc tamen Corpus victor mortis Christus, e mortis faucibus cum gloria repetens, nobis refudit in pharmacum vitæ et salutis..... Rursus, *de comedente exivit cibus*, Christi videlicet Corpus a morte redivivum, quod Ecclesia manducat. — 3) Tu, o divinissimum ac sacrosanctum sacramentum circumposita tibi symbolice ænigmatum vestimenta revelans, liquido nobis manifesteris, mentalesque nostros obtutus singulari et aperta luce adimpleto. — 4) Partire animæ corporique mysterium. Manu quidem manus tene, animo autem, quod in illo occultum est. Complexare Panem, et Deitati osculum defige. Manduca Corpus ac

2) S. Cyrillus Alexandr., *lib. 4 comm. in Ioan.* 6, v. 53.

3) S. Dionysius (ex antiquorum opinione Patrum) Areopagita, *lib. de Hierarchia eccles.* c. 3.

4) S. Ioan. Chrysost., *serm. in Pasch.*

quod Corpus est, animo adora. Manu teneat; hæc animus dicat: *Dominus meus, et Deus meus:* Cognatus meus et Herus: Judex et Advocatus: Conditor Sponsusque... — Quicunque scit attrectare Deum, insuper autem et speculari; et Christi quidem Carnem contrectare, speculari autem per oculos mentis Divinitatem, sicut Thomas manu contrectans Carnem, et fide speculans Divinitatem, dicebat, *Dominus meus et Deus meus;* hic ignem alienæ doctrinæ auferre, et ejicere a facie sanctuarii potest, quia personæ sanctuarii sunt sacerdotes.

II. — Ad gratiarum actionem.

1) Pascha nostrum immolatus est Christus. Novus Dei populus, novumque Pascha: novum incruentumque sacrificium; novum et divinum Testamentum... Pro vetere, novi Paschatis mysteriorum exemplaribus initiati, cognoscatis, quantum inter nos et Judaica discriminis intersit, quæque sit figurarum cum veritate comparatio... Illic figurate ac noctu Pascha celebravit Israel; hic cum luce et splen-

1) S. Epiphanius, Episc. Salam., *Orat. de Resurrect. Christi* (Combef. T. V, p. 441).

dore interdiu Pascha peragimus. Illic postium ac liminum foribus oblinebatur cruor: hic Christi Sanguine fidelium corda obsignantur... Illic ad populi pœnam conflatur vitulus: hic ad salutem populi, Dei Agnus immolatur... Illi temporarium manna comederunt et mortui sunt; nos Pane cœlesti vescimur in vitam æternam. — 2) Salutat sanctos discipulos (Christus) his verbis, *Pax vobis*, ipsum se pacem esse dicens. Quibus enim Christus adest, sequitur omnino, ut tranquillo ac sedato sint spiritu... advenitque atque apparet Christus omnibus, tum inaspectabili ratione, tum aspectabili; inaspectabili quidem ut Deus, aspectabili vero rursus in Corpore; jubetque ac sanctam Carnem suam tangendam porrigit. Accedimus enim Dei munere ad sumendam mysticam Eulogiam, Christum in manus suscipientes, ut et nos certo credamus, ipsum vere templum suum excitasse. Quod enim Communio mysticæ Eulogiæ, confessio quædam sit resurrectionis Christi, facile patebit ex iis quæ ipse dixit, cum per se ipse mysterii ritum perageret. Fregit

2) S. Cyrillus, Ep. Alexandr., *Exposit. in Evang. Dom. in Albis.*

ST. ALBERT'S COLLEGE LIBRARY

enim panem, sicut scriptum est, et distribuebat dicens: *Hoc est Corpus meum. Hoc facite in meam commemorationem.* Sanctorum itaque Mysteriorum perceptio, vera confessio est ac commemoratio, Dominum nostrum propter nos passum esse, ac in nostri gratiam resurrexisse; excepto etiam quod et divina hinc benedictione impleamur. Incredulitatem igitur, ceu rem quamdam exitiosam, fugiamus vel postquam Christum tetigerimus; quin eximia fide ac sensu firmiore eniteamus.

3) Aliquis fortasse vestrum cuperet, insignium illarum instar mulierum, pedes Jesu tenere? Nunc etiam potestis, si qui vultis, non pedes et manus tantum sed etiam caput illud sacrum contingere, dum pura conscientia sacrorum mysteriorum consortes estis. — 4) An non cogitamus cum ad istorum periculorum (persecutionis) pervenitur extrema, quantus in ecclesia fieri soleat ab omni ætate concursus?... si autem ministri adsint, pro viribus, quas ei Dominus subministrat, omnibus subvenitur: alii baptizantur, alii reconciliantur; nulli Domini Cor-

3) S. Ioan. Chrysost., *hom. 89 in Matth.*
4) S. Aug., *epist. 228 ad Honorat. n. 8.*

poris communione fraudantur. — 5) Ubi peccaverit quis et confessus fuerit; suspendii vel capitis obtruncationis loco, Evangelium et crucem cervicibus ejus circumponunt, visceribus ejus jejunium, oculis vigilias, et ori laudationem indicunt. Cumque probe castigaverint et fame afflixerint, tum pretiosum illi Domini Corpus impertiunt et sancto illum Sanguine potant. Etenim, 6) videmus Jesum propter Passionem mortis, gloria et honore coronatum; ut gratia Dei pro omnibus gustaret mortem. Decebat enim eum, propter quem omnia et per quem omnia, qui multos filios in gloriam adduxerat, auctorem salutis eorum per Passionem consummare. Qui enim sanctificat et qui sanctificantur, ex uno omnes. Propter quam causam non confunditur fratres eos vocare, dicens (Ps. 21): *Nuntiabo nomen tuum fratribus meis.* — 7) Calix benedictionis, cui benedicimus, nonne communicatio Sanguinis Christi est? Quid dicis, o beate Paule? (I Cor. 10). Ut auditorem pudore afficias, mysteria-

5) S. Gregor. II Papa, *epist. 2 ad Leonem Isauricum Imper.*

6) *Ad Hebr. 2, v. 9.*

7) S. Ioan. Chrysost., *hom. 24 in I Cor. 10.*

que horrenda memorans, benedictionis calicem vocas terribilem illum atque formidabilem calicem? Etiam, inquit: non enim parva res est, quæ dicitur; nam cum benedictionem dico, omnem explico divinæ beneficentiæ thesaurum, et magna illa dona in memoriam revoco. Nam nos quoque ad calicem recensentes ineffabilia Dei beneficia, et omnia, quibus fruimur; sic illum offerimus et communicamus, gratias agentes, quod eos, qui procul erant, prope fecerit, quod eos, qui spem non haberent, fratres suos et cohæredes constituerit. — Vos sacerdotes, estis filii Aaron, si tamen Aaron imitamini. Et Moysis fratres estis, illius utique Moysis, qui ait: Narrabo nomen tuum fratribus meis. Vos ergo habetis vestem Aaron; vos gloria et decore induti estis: vos Spiritus Sancti gloria inuncti estis: vestræ quoque manus ad Christi Corpus et Sanguinem conficiendum, omneque bonum et honestum agendum, sunt consecratæ.

III. — Ad propitiationem.

1) Salutis fructum non percipiunt in comestione salutaris Hostiæ, qui ea, quibus se repleverant, flagitia portant in mente. Non saturantur ergo, nisi famelici, qui a vitiis perfecte jejunantes divina Sacramenta percipiunt in plenitudine virtutis. Et quia sine peccato electi etiam viri esse non possunt, quid restat, nisi ut a peccatis evacuari quotidie conentur? Nam qui quotidie non exhaurit quod deliquit, etsi minima sunt peccata, quæ congerit, paulatim anima repletur... Hac repletione nos evacuare Paulus insinuans, ait: *Probet seipsum homo.* Quid enim est hoc loco *probare*, nisi evacuata peccatorum nequitia se probatum ad dominicam mensam et purum exhibere? De repletis etiam subdit: *Qui manducat et bibit indigne, judicium sibi manducat et bibit.* Quo studiosius mundamur lamentis pœnitentiæ, eo uberiorem divinæ gratiæ fructum recipimus in spiritali refectione. — 2) Valde dolendum est, quod

1) S. Gregorius Magnus Papa, *lib. 2 c. comment. in I Reg. 2.*

2) S. Odo Abb. Clun., *lib. 2 collat.* n. 28.

multi sacrosanctum mysterium Dominici Corporis temerarie præsumunt. In hoc mysterio salus mundi tota consistit. Et certe, dum indigne tractatur, per hoc maxime divina Majestas injuriatur. — 3) Oportet studiosum esse, hoc est, virtutis amantem, eum qui divinum et verum Pascha digne velit comedere. Norunt autem, quod dicitur, illi, qui Sacris initiati sunt. — 4) Quod mulieres valde diluculo venerunt (ad sepulcrum) magnus fervor inveniendi Dominum ostenditur. Mystice vero nobis exemplum datur, ut discussis vitiorum tenebris ad Domini Corpus accedamus. Nam sepulcrum altare Dominicum significat, in quo Carnis ejus ac Sanguinis mysteriis celebrantur. Aromata autem, quæ mulieres deferunt, odorem virtutum et suavitatem orationum significant, cum quibus altari debemus appropinquare... Sciendum quoque, quia, sicut Angeli leguntur adstitisse sepulcro Salvatoris, ita credendi sunt adsistere mysteriis Corporis Domini tempore consecrationis.

3) S. Isidorus Pelusiota, *lib. 4 epist.* n. 162.
4) Wernherus Ab. Sanblasian., *sermo in die Pasch.*

IV. — Ad impetrationem.

Pater noster, qui es in cœlis! qui nos homines amore paterno foves, gubernas, nutris atque conservas; benedictus es, qui elegisti nos in Christo ante mundi constitutionem, ut essemus sancti; et prædestinasti nos in adoptionem filiorum per Jesum Christum, qui nos fratrum loco habere voluit.

Sanctificetur nomen tuum, o sancte Pater, et adauge nobis filialem timorem et amorem, ut tanquam filii obedientiæ per omnia tibi placeamus, in omni opere bono fructificantes, ut nomen tuum sanctum honorificetur a nobis, quos prædestinasti conformes fieri imaginis Filii tui, ut sit ipse primogenitus in multis fratribus.

Adveniat regnum tuum, Pater amantissime. Nobis filiis tuis adoptivis adveniat hic regnum tuæ gratiæ, et ibi cœlestis gloriæ. Tuere, Pater, Ecclesiam in terris militantem, quam Unigenitus tuus appellavit regnum cœlorum, quam ipse Passione sua redemit et nunc quotidie suo Corpore et Sanguine pascit.

Fiat voluntas tua, sicut in cœlo et in terra. Da nobis ut omnia mandata tua constanter exequamur, et acerbitates

istius vitæ libenter patiamur, adspicientes in Fratrem nostrum Jesum, qui ut faceret voluntatem tuam, proposito sibi gaudio sustinuit crucem, tibi factus obediens usque ad mortem.

Panem nostrum quotidianum da nobis hodie. Concede nobis panem verbi tui et intelligentiam veritatis; fac nos digne vesci Pane eucharistico, Pane sacerdotum et fidelium quotidiano, sacro videlicet Corpore Christi Jesu, qui se Fratrem nostrum et fecit et dixit et exhibuit.

Dimitte nobis debita nostra, sicut et nos dimittimus debitoribus nostris. Per merita hujus victimæ paschalis, da nobis veniam omnium noxarum quibus te quotidie offendimus, sicut et nos fratribus nostris injurias condonamus atque dimittimus sincere de cordibus nostris.

Et ne nos inducas in tentationem. De nimia virium nostrarum imbecillitate certi, etiam atque etiam obsecramus te, ne patiaris nos tentari supra id quod possumus. Adesto nobis ope tua divina, ut insidias diaboli, sæculi vanitates et carnis illecebras superemus.

Sed libera nos a malo per merita Filii tui qui non confunditur, fratres nos vocare. Et quia talem charitatem dedisti no-

bis, ut filii tui nominemur et simus, libera nos ab omnibus malis præsentibus et futuris.

CHRISTUS IN EUCHARISTIA GLORIA ET FORTITUDO PRÆSENTIS VITÆ ET PIGNUS ÆTERNÆ GLORIÆ

I. — Ad actionem latreuticam.

1) Arbor ligni vitæ, Christus nunc in Ecclesia est, cujus imago in paradiso arbor illa fuit. Si homini ex illa semper, Dei servatis mandatis, edere licuisset, nunquam mori potuisset. Sic itaque ex hoc ligno Corporis quicunque spiritualiter comedunt, si mandata observaverint, nunquam spiritu mortales erunt. Unde et lignum vitæ jure dicitur, quia, sicut illud immortalitatem corporis præstitisset, ita istud vitam præstat cum observatione mandatorum Dei æternam. De quo in Apocalypsi: *Qui vicerit, dabo ei edere de ligno vitæ.* Quia profecto non aliis

1) S. Paschas. Radber., *lib. de sacram.* c. 7.

largitur etiam in mysterio, quam vincentibus.

2) Panis statim per Verbum in Corpus Verbi transmutatur, sicut dictum est a Verbo: *Hoc est Corpus meum*... Dei autem Verbum idcirco se admiscuit mortali hominum naturæ, ut communione Divinitatis simul etiam deificaretur humanitas. Ea de causa se per Carnem inserit omnibus credentibus, ut unione cum Corpore, quod est immortale, sit etiam homo particeps incorruptionis. Hæc autem dat virtus benedictionis, in illud transelementans eorum, quæ apparent, naturam.

3) Dicit Dominus, quod eum, qui manducat et bibit (suam Carnem et Sanguinem) resuscitabit ad gloriam... Et quidem satis congrue hujusmodi effectus sacramento eucharistiæ attribuitur; quia, ut dicit Augustinus: Verbum resuscitat animas; sed Verbum Caro factum vivificat corpora. In hoc autem sacramento non solum est Verbum secundum suam Divinitatem sed etiam secundum veritatem Carnis: et ideo non est solum causa resurrectionis animarum, sed etiam corporum. — 4) Cibus immortalis et sanctus, per quem vege-

2) S. Gregor. Nyss., *orat. catech.* c. 37.

3) S. Thom. Aquin., *comment. in Ioann. c. 6, lect. 7.*

4) Hugo, Ep. Ling. (sec. XI), *tract. de Corp. et Sang. Dom.*

tamur, non minuitur. Panis iste, sicut lux plurium oculos pascens, et tamen tanta est, quanta erat. Sacramentum fidelium, quod soli agnoscunt fideles, tunc unicuique vita est, si, quod in sacramento visibiliter sumitur, in ipsa veritate spiritualiter bibatur; aliter non satiaretur mens; aliter non recrearetur anima, sicut Augustinus dicit: Omnino non satiaret me Deus, nisi promitteret seipsum Deum. Ubi ergo ista promissio? «Panis, inquit, quem ego dabo, Caro mea est pro mundi vita». Sed dices: Panis hic, sed non Deus promittitur. Audi iterum: «Ego sum, inquit, Panis vivus, qui de cœlo descendi». Vivus est, et vivos facit. Nam iterato sic habes: «Si quis manducaverit ex hoc Pane vivet in æternum». Audisti, quia vita est. Sed quæ vita? Vita distinguibilis, discretilis, distans. Quare? quia perpes, quia æterna, quia corruptionis nescia, quia felicitatis plena.

II. — Ad gratiarum actionem.

1) Corpus hoc Christi Dei nostri, fiat in pignus vitæ futuræ; Corpus bona illa conferens quæ promissa sunt; Corpus

1) In liturgia S. Ioan. Chrysost.

ad delicias illas quæ exspectantur, præparans ad innovationem animarum corporumque nostrorum, et ad vitam æternam. — 2) Salvator noster discessurus ex hoc mundo ad Patrem, Sacramentum hoc instituit, in quo divitias divini sui erga homines amoris velut effudit. Sumi autem voluit Sacramentum hoc, tanquam spiritualem animarum cibum, quo alantur et confortentur viventes vita illius, qui dixit: Qui manducat me, et *ipse vivet propter me:* et tanquam antidotum, quo liberemur a culpis quotidianis et a peccatis mortalibus præservemur. Pignus præterea id esse voluit futuræ nostræ gloriæ et perpetuæ felicitatis.

3) Non vivit justitiæ, nisi qui moritur iniquitati... Ad hoc Christus mortuus est et resurrexit, ut nos peccatis mortui, justitiæ vivamus. Illa resurrectio, vita nostra fuit, per quam a morte animæ liberati sumus, atque vitæ restituti perpetuæ. Denique Corpore suo et Sanguine pascimur et vivificamur, alimur et saginamur. — 4) Edent pauperes et saturabuntur, non omnes; nec enim omnes

2) Conc. Trid. sess. 13, cap. 2.
3) S. Gregor. Magn., *exposit. Ps. 8.*
4) Theodoretus (sec. v), *comment. in Ps. 21.*

Evangelio obedierunt; sed ii, qui divinum in se amorem admiserunt; hos ut esurientes et sitientes, explendos esse ait, immortali perfruentes cibo. Divinum autem cibum, et spiritus doctrinam scimus, et mysticum atque immortale convivium, quod mysteriis initiati norunt. Vivent corda eorum in sæculum sæculi: etenim adhuc mortali corpore cincti, spe resurrectionis animum recreantes, æternam vitam expectant.

5) Obtulerunt aliquando Judæi hymnum pro victoria, quando in mari fuit demersus Ægyptiorum exercitus, dicentes: *Cantemus Domino* (Exod. 15), *gloriose enim magnificatus est.* Sed victoria nostra est multo major; non Ægyptiis demersis, sed dæmonibus; non in mari rubro, sed in lavacro regenerationis; non egredientibus in terram promissionis, sed in cœlum tendentibus; non manna comedentibus, sed dominico Corpore vescentibus; non aquam e petra bibentibus, sed Sanguinem e latere. Jubilate ergo Deo; hoc est, illi offerte gratiarum actionem, illi victoriam, illi trophæum. — 6) Itaque præmium exspectantes, æ-

5) S. Ioan. Chrysost., *comment. in Ps. 46.*
6) Theodorus Studit., *serm. 59.*

quanimiter virtutis labores patiamur, Deo et Patri gratias agentes, qui dignos nos fecit in partem sortis sanctorum, et transtulit in regnum Filii dilectionis suæ. Nonne ejus Corpus atque Sanguinem in dies percipimus? Quo quid suavius? quid delicatius? Siquidem vescentibus cum pura conscientia, perennis vita acquiritur.

III. — Ad propitiationem.

1) Hæc est gloriæ firma spes promerendæ, quia ipsam gloriosæ Divinitatis carnem hic tenemus in pignore, per quam in nobis carnalibus interim manentem Christum habemus dum eam percipimus.

2) In sacramento visibili præsentiam invisibilis Corporis sui exhiberi nobis voluit Dominus, ut sic nostram magis excitaret memoriam ad recolendam tantæ bonitatis gratiam. Sicut enim, cum omnia posset, non in nobis ipsis, sed in exterioribus alimoniis temporalem vitam nostram retineri voluit, ne nobis debere

1) Durandus Troarnens., *lib. de Corp. et Sang. Chr. part. 3.*

2) Algerus Leodiens., *lib. 2 de sacr. Corp. et Sang. D. c.* 2.

videremur, quod sumus, sed ei potius, a quo sunt illa munera, unde vivimus: sic etiam visibili suo sacramento, quo vitæ æternæ pignus accipimus, admoneri nos voluit, ejus gratiæ esse referendum, quod ab ipso vitam æternam accipimus.

3) Venias ad cibum Corporis Dominici, ad illud poculum, quo fidelium inebriatur affectus, ut lætitiam induat de remissione peccati; curas sæculi hujus, metum mortis, solicitudinesque deponat. Hac ergo ebrietate corpus non titubat, sed resurgit; animus non confunditur sed consecratur.

4) Caro abluitur, ut anima emaculetur; caro ungitur, ut anima consecretur; caro signatur, ut et anima muniatur; caro manus impositione adumbratur, ut et anima Spiritu illuminetur; caro Corpore et Sanguine Christi vescitur, ut et anima de Deo saginetur. — 5) Nolite igitur conqueri super tribulationibus vestris. Scitis enim quia juxta est Dominus iis, qui tribulato sunt corde. De ipso confidite quia ipse vicit mundum. Ipse scit, inter quos habitatis: et in conspectu ejus

3) S. Ambrosius, *in Psalm. 118.*
4) Tertullianus, *lib. de resurr. carnis, c. 8.*
5) S. Bernardus,

sunt omnes qui tribulant vos. Ipse exaudiet vos in abscondito tempestatis qui nunc probat vos ad aquas contradictionis.

IV. — Ad impetrationem.

Pater misericors, respice in faciem Christi tui, reconciliatoris nostri et per infinita ipsius merita, hanc concede nobis gratiam ut amore tui cunctas acerbitates animis semper æquis toleremus, nec contemplemur quæ videntur, sed quæ non videntur et unice desideremus illud in cœlo gaudium, quod præparasti diligentibus te, gaudium æternum quod nemo tollet a nobis. Per amorem quo elegisti nos in Filio tuo ante mundi constitutionem, ut essemus sancti et immaculati, multiplica super nos misericordiam tuam, et quia nec bonum ex nobis inchoare, nec in bono sine te perseverare possumus, custodi quod tribues, ut invenias quod corones.

In votis fac habeamus illud delectabile regnum ubi tecum gaudebunt sancti, amicti lumine sicut vestimento; ubi torrens voluptatis est sine termino, jucunditas sine tristitia, pax sine metu, gaudium sine dolore, quies sine labore. Laudes tuas loquatur, clementissime Jesu,

os nostrum, quia fortitudine tua hostem, qui infirmitatem nostram aggreditur, victum conspicimus. Largire nobis, Domine, ut nostræ peregrinationis cursum in tua voluntate conficiamus. Induat per te genus nostrum armaturam fidei in SS. Eucharistiæ sacramento, ut isto velut inexpugnabili scuto probe instructum, omnes inimicos valeat superare.

CHRISTUS IN EUCHARISTIA GAUDIUM AMICORUM SUORUM

I. — Ad actionem latreuticam.

1) Sic apparuit in visibili specie Sapientia Dei, ut completo dispensationis suæ ministerio regrederetur ad Patrem, unde venerat, et a quo non discesserat; congruum fuit, ut taliter exhiberet se, quatenus nec quos elegerat, præsentes relinqueret, nec venturis se denegaret, sed cunctos pari se ostenderet dilexisse caritate. Quod quidem optime perfecit,

1) S. Laur. Iustin., *Serm.*

dum se sub modica panis vinique specie realiter communicavit. Merito enim opus tale Divinæ conveniebat Sapientiæ, nullique nisi Verbo sempiterno hujusmodi elargitio caritatis. — 2) Notandum, quia utrumque Dominus tradidit discipulis, Corpus et Sanguinem. Et sciendum, quia hoc sacramentum ultimum tradidit..... quemadmodum si quis circa finem vitæ aliquod dilectum munus alicui, ad recordationem sui, donet amico. Nunquid iste prospiciens non compungitur, vel etiam ad lacrymas provocatur? Similiter et nos, sacrificantes vel percipientes hoc mysterium, compungi, vel ad lacrymas provocari debemus. — 3) Vos, sacerdotes, prædicate super tecta, primo de institutione hujus sacramenti, quod a Domino in Cœna post agnum typicum apostolis traditum fuerit, ut idem Corpus suum, quod super astra glorificatum levaret, mirifica dilectione in altari velatum mysticis speciebus, usque in finem sæculi, suis fidelibus collocaret. — 4) Sicut solent homines peregre profecturi, amicos suos convocare, atque con-

2) Atto II. Ep. Vercell., *exposit. in I Cor. 11.*
3) Petrus Ep. Carnot., *serm. 7 de Coena Dom.*
4) Ricardus, Episc. Carum., *constit.* c. 34.

vivium lætitiæ eis præparare; sic Dominus noster Jesus Christus peregre proficiscens, id est, de mundo transiturus ad Patrem, discipulis suis convivium præparavit, Corpore et Sanguine suo veraciter eos reficiens sub speciebus panis et vini, transubstantiatis pane in Corpus, vino in Sanguinem potestate divina. Et hoc sacramentum conficiendi potestatem, recipit quilibet sacerdos.

II. — Ad gratiarum actionem.

1) Christi Sanguis, secundum effectum, vinum typice vocari potest; quia sicut vinum lætificat cor hominum sobrie potatum, ita longe locupletius hoc vinum Sanguinis lætificat cor hominis interioris, et inebriat mentem amore spirituali. Unde in Ps. 22 dictum est: *Calix meus inebrians, quam præclarus est.* — 2) Non est alius calix Calici Dominico similis, qui sic bibentem divina et inenarrabili jucunditate lætificat, ut omnem pristini doloris memoriam absorbeat. Non solum autem; sed et bibentem ita ingenita sibi

1) S. Paschasius Radbert., *lib. de Corp. et Sang. Dom.* c. 16.

2) Franco (sec. XII), *lib. 10 de gratia Dei.*

suavitate inebriat, ut eum in excessum mentis mittat, adeo ut semetipsum abneget et quodammodo seipsum nesciat: ut vacillantes præ hac ebrietate gressus in lubrico amore immundi mundi figere jam non valeat, immo jam non libeat. Sic, sic, immo longe aliter, quia ineffabiliter, Panis Christi, qui vere est Caro ejus, fidelium corda confirmat; sic Calix Domini, qui est vere Sanguis ejus, bibentium corda lætificat. — 3) Misit servos suos Sapientia, Christus nimirum, sanctos utique misit apostolos, universum permeantes mundum; qui gentes ad ipsius agnitionem vocarent sublimi ac divina sua prædicatione... Venite, comedite Panem meum et bibite Vinum, quod miscui vobis: divinam ipsius Carnem, ac venerabilem ejus Sanguinem dedit nobis edendum bibendumque.

4) Immolatio Corporis (Domini), ut Augustinus testatur, quotidie revertitur, quia quotidie peccamus... Et ideo, quia quotidie labimur, Christus quotidie mystice pro nobis immolatur. — 5) Commu-

3) S. Hippolytus Ep. M., *in Prov. 9.*

4) S. Anselmus, Ep. Cantuar., *lib. 4, epist. 107 de Corp. et Sang. Dom.*

5) Pontificale Eccles. Apamiensis in Syria, an. 1214 scriptum.

nicantur pueri, qui nondum noverunt comedere vel bibere, digito intincto in Sanguine Domini, et posito in ore ipsorum, sacerdote dicente; Corpus cum Sanguine D. N. J. C. custodiat te in vitam æternam. — 6) Cujus rei sacramentum nec in Psalmis tacet Spiritus Sanctus, faciens mentionem Dominici Calicis, et dicens: *Calix tuus, inebrians, perquam optimus...* Quia ebrietas Dominici Calicis et Sanguinis non est talis, qualis est ebrietas vini sæcularis, cum diceret Spiritus Sanctus in psalmo: *Calix tuus inebrians*, addidit, *perquam optimus:* quod scilicet Calix Dominicus sic bibentes inebriat, ut sobrios faciat; et quemadmodum vino isto communi mens solvitur, et anima relaxatur, et tristitia omnis deponitur, ita epotato Sanguine Domini et poculo salutari, deponatur memoria veteris hominis, et mœstum pectus ac triste, quod prius peccatis angentibus premebatur. divinæ indulgentiæ lætitia resolvatur.

6) S. Cyprianus, *Epist. 63 ad Caecilium.*

III. — Ad propitiationem.

1) *Quotiescumque enim manducabitis panem hunc et calicem bibetis, mortem Domini annuntiabitis, donec veniat.....* **Salvator Deus exemplum dedit, ut, quotiescumque hoc facimus, in mente habeamus quod Christus pro nobis mortuus est. Ideo nobis dicitur,** *Corpus Christi*, **ut cum hoc recordati fuerimus, non simus ingrati gratiæ ejus. Quemadmodum, si quis moriens relinquat ei, quem diligit, aliquod pignus; quod ille post mortem ejus quandocumque viderit, nunquid potest a lacrymis se continere si perfecte eum dilexerit? Mortem Domini annuntiabitis in cordibus vestris, cum audieritis:** *Corpus Christi*. — 2) **Sui memoriam nobis reliquit Dominus: quemadmodum si quis peregre proficiscens, aliquod pignus ei, quem diligit, relinquat, ut, quotiescumque illud viderit, possit ejus beneficia et amicitia recordari; quoniam si perfecte diligit, sine ingenti desiderio et fletu illud non potest videre.**

1) Primasius Africanus, *comment. in I Cor. 11* (sec. IV).
2) Sedulius Scotus Hibern., *Collectan. in I Cor. 11* (sec. IX).

IV. — Ad impetrationem.

Fortissime, potentissime Domine Jesu Christe, qui postquam mortem vicisti, resurgens a mortuis, discipulos de tua morte dolentes lætificasti atque manducans et bibens cum eis, in fide resurrectionis tuæ, corda eorum solidasti; lætifica animam servi tui; lætifica et conforta me in fide resurrectionis tuæ præteritæ, et nostræ futuræ. Te quoque Dominum indulgentiæ deprecamur, ut quidquid contra te amicum nostrum deliquimus, benigne nobis condonare digneris. Quæsumus immensam bonitatem tuam, ne nos pro nostra iniquitate condemnes, sed pro tua benignitate nos in via recta disponas, nec, sicut meremur, delinquentibus irascaris, sed fragilitati nostræ invicta bonitate subvenias. Adesto supplicationibus nostris, ut sicut benignitate gratuita tuorum nos fecisti participes sacramentorum, ita usque ad horam illam, qua hinc exituri sumus ad Patrem et ad Te, in fide, in spe et caritate nos perseverare facias. Dona nobis, amicis tuis, diligentiam quæ te quærat, sapientiam quæ te inveniat, conversatio-

nem quæ tibi placeat, perseverantiam usque in finem, finem denique perfectum in tua perfecta amicitia.

OPUS DEI MAXIMUM

I. — Ad adorationem.

1) In finem dilexit eos. — 2) Solet homo cum est in magno amoris fervore ac vehementia dilectionis, facere magna quia charitas operatur magna, si magna est, quanto major est, tanto majora satagit sicut et in carnalibus amoribus patet, quanto magis et in philocapto Jesu ? ; propterea audi prophetam : 3) Videbo cœlos tuos, opera digitorum tuorum. — 4) Non quod habeat Deus digitos, sed minima esse operationis ostendit.

5) Nos Dominus noster per cibum hunc

1) Ioan. 13.
2) S. Bern. Sen. t. 1, fer. 54, a. 1.
3) Ps. 8.
4) S. Chrysost., *in Ps.*
5) Dionys. Areop., *de eccl. hyer.*

suavissimum in sui traducit effigiem Deiformesque reddit. — 6) Merito cum venitur ad verba consecrationis, sacerdos extollit alte utrumque, Corpus et Sanguinem Christi, significans hunc cibum et hunc potum excellentiorem cæteris. — 7) Summa voluntate instituta summoque amore; cum in finem Christus dilexisset suos; exquisita inter omnes voluntates ejus; summopere item a nobis expetenda ac magna voluntate percipienda. — 8) Intelligimus altare Dei plenum esse carbunculis hoc est ignitis calculis. — 9) Quis est nobis amicitior, quam qui pro nobis corpus suum tradit? — 10) Haec est charitas quæ tantum in Deum prævaluit, quod eum de sede Majestatis ad infirmitatem nostræ humanitatis adduxit, vulneravit impassibilem, traxit incommutabilem, ligavit insuperabilem. — 10b) Ut panem angelorum manducaret homo, Dominus angelorum factus est homo. — 11) Triumphat de Deo amor.

6) Hugo de S. Vict., *in spec. Eub.* t. I.
7) Lorinus in Psalmos.
8) S. Hier. *in c. 6 Is.*
9) S. Ambr. apud S. Thom. *in cat. in Luc. 11, 5.*
10) Innoc. III, *de laud. char.*
10*b*) S. Aug., *serm. 13 de temp.*
11) S. Bern., *ser. 59 in Cant.*

— 11b) Ut puderet hominem illi resistere, cum illum videret etiam in Deum triumphasse.

12) Offerimus præclaræ Majestati tuæ (Deus) de tuis donis ac datis hostiam puram, hostiam sanctam, hostiam immaculatam. — 13) Dona sunt in cœlo, data in terra; dona apud Deum in Christo, data super Altari in Sacramento; dona in cœlo nuda et aperta; et data in altari tecta sensibilibus et occulta; tamen hic et ibi ea vera. — 14) Tuta habitatio Paradisus, dulce pabulum verbum; habeo ego Verbum, sed in carne; et mihi apponitur veritas, sed in Sacramento. *De hoc ait Dominus:* 15) Pectusculum, quod oblatum est, edetis in loco mundissimo. — 16) Pectusculum optimum est et dulcissimum animalis; significat dulcedinem corporis Christi; comedetur in loco mundissimo quia dulcedine corporis Domini qua hic pascimur in velamine et Sacramento, ea fruuntur Beati in ma-

11 *b*) Hugo a S. Vict., *de laud. char.*
12) In can. miss.
13) Odo Camerac., *in exp. can.*
14) S. Bern., *Serm. 33 in Cant.*
15) Lev. 10.
16) S. Thom. opusc. 58, c. 4.

nifesta visione in cœlo. — 17) Vetus enim testamentum veritatem promisit, non dedit; novum dedit, sed non ostendit; quid restat nisi ut eadem veritas in alia vita manifestetur? — 18) Et ostendit mihi fluvium aquæ vivæ, procedentem de Sede Dei et Agni: in medio plateæ ejus ex utraque parte fluminis lignum vitæ. — 19) Lignum istum est Christus qui est in utraque parte: quia in dextra est in Paradiso, et in hostia consecrata per Sacramentum est in hoc mundo.

20) Etenim Ecclesia in Missa communicat cum triumphante; quia eodem pane angelorum reficitur ista et illa; nam eodem pane quo ea fruitur facialiter, per claram visionem et apprehensionem; reficitur et fruitur ista sacramentaliter per fidem et charitatem in Sacramento Altaris. Ideo Ecclesia, tanquam Angelorum socia, cantat in Missa canticum eorum dicens: Gloria in excelsis Deo. — 21) In ipsa enim est mensa lactescens

17) Alger., *de sacr. libr.* 1, c. 8.
18) Apoc. 21.
19) S. Vincent., *serm. 3 de Corp. Chr.*
20) Iac. de Valent., *in Cant. Angel.*
21) S. Aug., *in Ps. 33.*

ac parvulis apposita; — 22) lilium lactei floris herba quasi lidia. — 23) Christus Dominus flos et fructus idem est; sed flos exspectantibus, fructus fruentibus. Nam ipse sursum est et deorsum. — 24) Non diceret enim: videbitis cœlum apertum et Angelos Dei ascendentes ad filium hominis nisi sursum esset; nec diceret descendentes ad filium hominis nisi deorsum esset. Christus ipse est merces sursum et deorsum, sed hic habemus vitam æternam quia jam habemus arrham. — 25) Est autem arrha complenda non auferenda: unde qui habet arrham non reddit, sicut pignus, sed desiderat plenitudinem. — 26) Elevat Sacerdos Corpus Christi in altari, quasi diceret: o fideles Christi gaudete et aspicite: Hæc est enim cœlestis præbenda Angelorum, quam nobis transmisit largissimus Rex cœlorum: ut omni gratia et benedictione repleamini. — 27) Totus erat apud Patrem quando venit ad Virginem; implevit illam non

22) S. Isidor., *Etymol.* lib. 18, cap. 9.
23) Hugo Car., *in c. 2 Cant.*
24) S. Aug., *de verb. Dom. sec. Io. fer. 41.*
25) S. Isid. *l. c.*
26) S. Bonav., in c. Miss.
27) S. Aug. apud Canis., *de Deip.* lib. 8, c. 7.

recessit ab illo. Veniebat in carnem ut eum homines manducarent et remanebat integer apud Patrem, ut Angelos pasceret.

II. — Ad gratiarum actionem.

1) Deduxit aquam de petra et deduxit velut flumina aquas. — 2) Deduxit aquam de petra quia de latere aperto exivit aqua cum sanguine testamenti æterni et hæc aqua non deficit quia deduxit tamquam flumina aquas; flumen enim descendens de monte non siccatur. — 3) Quasi non sufficeret, amoroso Jesu ad inebriati sui amoris ostensionem, quod semel sanguinem suum sacrum realiter pro nobis effudit in ligno, nisi nobis quotidie effudat sub Sacramento. Plus quam mirabilia Israel de quo dictum est: — 4) Bibebant autem de spiritali consequente eos petra; petra autem erat Christus. — 5) Semper secuta est eos illa petra: et ubicumque figebant tentoria, volvebatur in medium castrorum nullo hominum impellente, emittens lar-

1) Ps. 77.
2) Ugo Car., *in Ps.* 22.
3) S. Bernard. Sen. t. 2. serm. 52 a. 1, c. 2.
4) I Cor. 10.
5) Haymon., *ib.*

gissimos rivulos ad satietatem populi et jumentorum. — 6) Imitata est petra latus Domini.

7) Deus in hac mensa posuit sua beneficia, Angelus sua obsequia. Angelus os aperit in laudem Dei. — 8) Manus illius tornatiles, aureæ, plenæ hyacinthis. — 9) Hoc solæ operantur manus Christi tornatiles, aureæ, plenæ hyacinthis: manus, inquam, Christi hoc operantur per manus Sacerdotis, quæ manibus suis confortatæ sunt. — 10) Tunc manus sacerdotis plenæ sunt Angelis, qui canunt dicentes: Panis Angelicus fit panis hominum. De hoc loquitur Dominus cum dicit: — 11) Vincenti dabo edere de ligno vitæ quod est in Paradiso Dei mei. — 12) Ecclesia militans est Paradisus; quia Deus in ea suos amatores reficit suavissimis refectionibus. — 13) Erit tamquam lignum, ait Psalmista, quod plantatum est secus decursus aquarum quod

6) Theodoret., *ib.*
7) Petr. Cell., *de panib.*
8) Cant. 5, 14.
9) Rup., *de div. off.* 2, c. 51.
10) S. Vinc. Ferr., *sermo I in Dom. sex.*
11) Apoc. 2, 7.
12) S. Thom. *ibid.*
13) Ps. 1, 3.

fructum suum dabit in tempore suo et folium ejus non defluet. — 14) His sacratissimis verbis describitur Sanctissimum Sacramentum sub mysterio ligni. — 15) Verbum illud quo pascuntur Angeli, sempiternum, quod est æquale Patri, manducavit homo: saginantur ergo illo Angeli, sed semetipsum exinanivit ut manducaret homo. Quis autem homo posset ad illum cibum? unde tam idoneum illi cibo? Oportebat ergo ut mensa illa lactesceret et ad parvulos perveniret. Etenim dictum est: — 16) ex ore infantium et lactentium perfecisti laudem. — 17) Unde dabis mihi infantes ac lactentes, quorum ex ore laudem suam perficiat Deus? Cœlum non habet infantes, habet Ecclesia, quibus dicit: lac vobis dedi, non escam. Lac Ecclesiæ manna est absconditum. — 18) Dicitur autem manna gloria Dei quia potentiam et gloriam Dei enarrabat. Congruit Eucharistiæ egregie hoc nomen; est enim Eucharistia maxima gloria Domini, quo-

14) S. Bernard. Sen. t. 1 ser. 54.
15) S. Aug., *in Ps. 33.*
16) Ps. 8, 3.
17) S. Bern., *serm. 68 in cant.*
18) Seb. Barr. in itin. l. 9, c. 19.

niam Dei admirabile potentiam et amorem manifestat hominibus et propter tantum beneficium eum summopere laudandum et glorificandum prædicat. Propterea ait S. Ignatius: — 19) Date itaque operam ut crebrius congregamini ad Eucharistiam et gloriam Domini. Etenim — 20) abyssus abyssum invocat; abyssus, cui non datur fundus, est Deus infinitus, cujus magnitudinis non est finis. Abyssus est anima nostra infinitæ capacitatis in potentia. Abyssus ergo invocat abyssum quia anima, quasi infinitæ capacitatis, appetit Deum nobilissimum et summum bonum.

III. — Ad propitiationem.

1) Tolle hoc Sacramentum ab Ecclesia et quid erit in mundo nisi error et infidelitas? Et populus Christianus erit quasi grex immundus. Et nunc 2) quoniam abundavit iniquitas refrigescet charitas multorum. Refrigescit jam ante ignem Tabernaculi, — 3) clariorem no-

19) S. Ign. M. ep. 14.
20) S. Anton. Flor. p. 2, tit. 5, c. 14.
1) S. Bon. in præp. Miss.
2) Matth. 24, 12.
3) S. Chrysol., *Hom. 45 in Ioan. t. 3.*

stram mentem reddentem ante ignem, inquam, qui est 4) Deificans ut comburantur peccata et 5) cujus prunæ sunt charitas, amor, devotio, virtus; — 6) ignis perpetuus, qui numquam deficit in altari, — 7) vitiorum rubiginem consumens, mentis vetustatem renovans, torpentem affectum inflammans, — 8) ignis bonus, qui calefacere novit, nescit urere nisi sola peccata, mundat animam, consumit errorem, — 9) ad quem qui accesserit non confundetur.

Heu! fame pereunt tot millia, ante cœnam Domini magnam in qua positus est 10) cibus non oris sed cordis, non corporis sed animæ, cibus avidorum et famescentium; qui est nostra defensio, nostrum propugnaculum et munimen et debet cordis quiete et pace potiri; qui habet efficaciam ad conferendam resurrectionem; cibus divinæ sapientiæ, qui satiat quidem perfecte sed qui edunt de eo, dicuntur esurire quia tales de-

4) S. Ioan. Dam., *l. 4 de fid.* c. 14.
5) S. Vinc. Ferr. *ser. 2 de Corp. Chr.*
6) S. Thom. op. 58, ep. 14.
7) Maub. in Ros. tit. 6.
8) S. Ambr. *in Ps. 118 n. 14.*
9) B. Canis, *de Corp. Chr.*
10) Conti-Ala, 2.

siderio et esurie divini amoris inflammantur; quo non pasci profecto est esurire; — 11) cibus dulcis, pretiosus et purus qui non de terra sed de cœlo venit, non hominum opere sed Spiritus Sancti virtute, in sacro Virginis utero formatus, omnem habens saporem, omnem continens suavitatem; — 12) qui pie recipientium ignorantiæ tenebras illuminat, morbum pravæ concupiscentiæ sanat, et mortem destruendo triumphat, contra corruptionis pomi mortiferi; — 13) cibus denique cœlestis quem Deus mutavit in pabulum peccatoris; non datus ad ruinam hujus vitæ sed ad æternam vitam animæ conferendam. Despicitur — 14) calix salutaris quo reddimur victoriæ securi contra adversarios salutis; calix ebrietatis qui ebrios divini amoris nos facit simulque lucem magnam nobis effundit, unde nuncupatur præclarus, et potatores suos sitire adhuc facit et illi oblivionem et contemptum rerum mundi ingenerat; — 15) qui profecto inebriat, ex toto corde diligentem alienat

11) S. Thom. a V. N., *Conc. I de Euch.*
12) S. Thom. op. 58, c. 6.
13) S. Bern., *serm. in Cœna Domini.*
14) Conti-Ala, 2.
15) S. Laur. Iust., *serm. de Euch.*

a se et copulat Christo; despicitur — 16) convivium nobilissimum, quod omnibus indifferenter patet; ipsum possumus appellare gregarium, ad quod non speciatim Magnates, sed omnes, et pauperes et rustici invitantur; convivium a divina Sapientia instructum et in arce paratum; ad quod vocantur ancillæ, id est concionatores; — 17) convivium cœleste ubi panis datur ad vescendum et non comedunt qui comedunt sed qui ad virtutem nutriuntur. Nutriuntur qui cibo exterminant vitia, comedunt qui carent gratia; nutriuntur qui accedunt ut comedant, comedunt qui accedunt mensæ ut accedant; nutriuntur quibus prodest panis, comedunt quibus non prodest; nutriuntur qui suspirant antequam comedant, comedunt qui post sumptionem suspirant; nutriuntur, qui ad escam præparantur, comedunt qui in vita moriuntur et permanent infeliciter jejuni, vescentes cœlesti pane; quia communionem hanc non comprobat refectio, sed recipientium nutritio. — 18) Postponitur convivium in quo quicumque saginatur nescit panem

16) Cont. Ala 2.
17) Villar. t. 2, taut. 10.
18) S. Anselm., *de Sacr. Altar.* c. 8.

suum otiosus comedere, sed sollicite cum muliere illa ardet de nocte hujus sæculi consurgere ad lucernam Verbi Dei, ut labores manuum suarum manducet et bene sit ei.

IV. — Ad orationem.

1) Moyses qui dignus est habitus cum Deo loqui facie ad faciem, osculorum Dei majori tenebatur desiderio, postquam ei toties Deus apparuisset, rogans ut videret quem desiderabat, perinde ac si nunquam eum esset contemplatus. — 2) Quanto vicinius iste dilectus habetur, tanto vehementius desideratur; qui habent, habere desiderant; qui vident, videre desiderant: nam Angeli vident et tamen desiderant in eum prospicere. Propterea — 3) obliviscor manducare, desiderium Dei habens et ipsum solum considerans. Etenim — 4) apparuit nobis filius Jesus ut copia ciborum imminente fame gravissima et ut fons aquæ vivæ animæ laboranti præ siti in æstu. —

1) S. Greg. Nyss., *Hom. I in Cant.*
2) Rup., *l. 2 in Cant.*
3) S. Hier. *in Ps. 101.*
4) S. Amed., *Hom. 3 de Incarn.*

5) Dicamus ergo: Deus, Deus meus, ad te de luce vigilo, sitivit in te anima mea; adeamusque ad thronum gratiæ, ad eum qui habitat in tabernaculo; ipse est gratia bona, — 6) eo quod Corpus Christi influat in nobis bonitatem suam, per quam non ipsum nobis, sed nos ipsi assimilamur et in ejus bonitatem mutamur; gratia bona quia Eucharistia Christum realiter continet qui est plenus gratia et veritate, quam in præsenti participamus; — 7) gratia bona quia in ea est augmentum virtutis et gratiæ; non solum sed ille totus ibi sumitur qui est fons totius gratiæ. Cum autem ipsa sit — 8) oratio solemnis et — 9) opus adeo mirabile, gloriosumque, sic mire augustum, ut quasi una Dei potentia, ad illud patrandum non sufficeret, plurativo nomine potentias exigere videatur juxta illud: Quis loquetur potentias Domini?; opus veri pigmentarii Spiritus Sancti, oremus in illo:

Fili Redemptor mundi Deus, qui ex infinita charitate opus nostræ redem-

5) Ps. 62, 2.
6) S. Bern. Sen., t. 2, ser. 55.
7) S. Thom., op. 58, c. 26.
8) S. Hier., t. 6 in Soph.
9) Conti-Ala, 2.

ptionis suscepisti: et in castissimo Mariæ Virginis utero carnem sumens in similitudinem hominum factus es et habitu inventus ut homo; qui in loco pascuæ me collocasti; qui dixisti: venite ad me omnes qui laboratis et onerati estis et ego reficiam vos; qui misertus es super turbas diu te sustinentes et non habentes quod manducarent, virtute potentiæ tuæ omnes ad satietatem pavisti: quæsumus, non prævaleant adversus nos inimici nostri, et relevemur pondere peccatorum nostrorum, quoniam sicut onus grave gravata sunt super nos et refice hoc cœlesti pabulo esurientem ac deficientem spiritum nostrum, ne deficiamus in via, si fuerimus cœlesti fraudati alimonia.

Jesu liberalissime, qui pinguem nobis dedisti panem, præbentem delicias regibus et cibas nos ex adipe frumenti; qui nos exhortaris ad sumendum te, dicens: Caro mea vere est cibus et Sanguis meus vere est potus; et: Nisi manducaveritis Carnem Filii hominis et biberitis ejus Sanguinem non habebitis vitam in vobis; da mihi ut sicut adipe et pinguedine repleatur anima mea, ne arescat aliquando cor meum, si obliviscar comedere panem meum, et da mihi

hunc panem et potum digne sumere, ut non esuriem nec sitiam iterum, nec moriar in æternum.

MENSA DEI

Super aquam refectionis educavit me, animam meam convertit.
(Ps. XXII, 2.)

I. — Ad adorationem.

1) An nescis quod hæc mensa plena est igne spiritali? Nam quemadmodum fontes aquæ vim exundant, ita hæc flammam habet arcanam. Aqua est et ignis cujus typus gessit aqua illa Nehemiæ qui — 2) jussit de ea haurire et afferre sibi: et sacrificia quæ imposita erant, jussit aspergi ipsa aqua et ligna et quæ erant superposita. Utque hoc factum est et tempus affuit quo sol refulsit, qui prius erat in nubilo, accensus est ignis magnus, ita ut omnes mirarentur. Cum

1) S. Chrysost., sost. de 5. Philog. ap. Lip. t. 20.
2) II Mach. 1.

autem consumptum esset sacrificium, ex residua aqua Nehemias jussit lapides majores perfundi. Quod ut factum est, ex eis flamma accensa est; sed ex lumine, quod refulsit ab altari, consumpta est. Hic ignis ille est quo Dominus orationem exaudivit justi Abel et quo exaudit preces sacerdotis dicentis: supra quæ propitio ore sereno vultu respicere digneris et accepta habere, sicut accepta habere dignatus es munera pueri tui justi Abel. Etenim — 3) ignis venit e cœlo ad sacrificium devorandum. Respexit Dominus ad Abel et ad munera ejus, id est — 4) inflammavit Dominus super Abel et sacrificium ejus. — 5) Aqua est quæ fluxit de petra Christi: Bibebant autem de spiritali consequente eos Petra, ut dicitur ad Corinthios; aqua qua Psaltes adolescere se dicit; ait enim: super aquam refectionis educavit me: — 6) Ubi arabica translatio legit: super aquam refectionis adolescere me fecit. — 7) De Libano dicitur fluere quia nobis

3) S. Hier., *in Tradit. Hebr.* in Gen.
4) Theodosion apud S. Hier.
5) Hugo Car., *in c. 6 Ioan.*
6) Fidel. Theor. 9.
7) Pin., *in Eccles.* t. 1 Eth. 422.

præsentem facit Christum in Cruce pendentem: sicut aqua tanto impetu in sublime fertur quanto impetu in ima descendit; non aliter hæc aqua de summo Libani vertice, id est, de cœlo descendit, ut nos ad suprema, id est cœlestia perducat. Etenim ait Dominus: — 8) Aqua quam ego dabo ei, fiet in eo fons aquæ salientis in vitam æternam. — 9) De latere exivit ad lavandum credentes et Eucharistici Sacramenti amatores. Verum ista aqua reficit justos et ad malos damnosa est; nos refrigerat et a fervore concupiscentiæ nos liberat, nos irrigat, et ad bonam frugem a malo, ab ariditate peccati trahit. Vere — 10) aquam de petra produxit eis et scidit petram et fluxerunt aquæ; propterea dictum est: — 11) Omnes sitientes venite ad aquas... et requiem tibi dabit Dominus semper et implebit splendoribus animam tuam, et ossa tua liberabit et eris quasi hortus irriguus et sicut fons aquarum cujus non deficient aquæ. — 12) Et effundam super vos aquam mundam et mundamini

8) Ioan. 4, 14.
9) Conti-Ala, 2, pen. 16.
10) Is. 48, 21.
11) Is. 55, 1; 58, 11.
12) Ezech. 36, 25.

ab omnibus inquinamentis vestris. — 13) Exibunt aquæ vivæ de Jerusalem: medium earum ad mare orientale et medium earum ad mare novissimum; in æstate et hyeme erunt. Aquæ illæ de flumine illo sunt de quo dicitur: — 14) Et ostendit mihi fluvium aquæ vivæ splendidum tanquam crystallum, procedentem de sede Dei et Agni. In medio plateæ ejus, et ex utraque parte fluminis lignum vitæ, afferens fructus duodecim, per menses singulos reddens fructum suum et folia ligni ad sanitatem gentium. — 15) Lignum vitæ Christus Dominus qui viventes reficit Sacramenti sui participatione. — 16) Lignum istum est Christus qui est in utraque parte; quia in dextera est in Paradiso, et in Hostia consecrata per Sacramentum est in hoc mundo.

II. — Ad gratiarum actionem.

1) Super aquam refectionis educavit me. Dicitur aqua quia sitim cupiditatis

13) Zach. 14, 8.
14) Apoc. 22, 15.
15) Rich. a S. Laur., *de laud. B. V.* l. 12.
16) S. Vinc. Ferr., *serm. 3 de Corp. Chr.*
1) Hugo Car., *in c. 6 Ioan.*

et peccati extinguit. Hæc est aqua quæ fluxit de petra Christi. Ejus dulcedine est ea de qua loquitur sponsus in Canticis: — 2) Messui mirrham meam cum aromatibus; comedi favum meum cum melle meo; comedite amici, et inebriamini charissimi. Mel et lac sub lingua ejus. — 3) Bene dicitur, sub lingua, eo quod postquam Sacerdos super hostiam verba consecrationis finivit, ibi est mel Divinitatis et lac humanitatis. — 4) Vides, quod in hoc pane nulla sit amaritudo, sed omnis suavitas. Non deest igitur potus. Nam etsi — 5) nihil de potu meminit Evangelista, debemus dicere ne prandium videatur imperfectum (quia Dei perfecta sunt opera), quod biberunt et quod illi panes et pisces fuerunt simul cibus et potus. De pane et pisce exibat quidam liquor, qui refocillabat comedentes. Quia in hostia consecrata est ibi totum corpus ex vi verborum et totus sanguis ex concomitantia reali. Pariterque — 6) ex Hebræis aliqui putant quod manna simul escam

2) Cant. 5, 2; 4, 11.
3) S. Anton., p. I, t. 6, c. 2.
4) S. Ambr., l. 5, c. 3.
5) S. Vinc., *ser. 2 in Dom. Laetare.*
6) Oleastr., *in Exod.* 17, 8.

et potum suppleret. Ideo super aquam refectionis educavit me; animam meam convertit. Beati qui habitant in domo tua, Domine. — 7) Sunt ante thronum Dei et serviunt ei die ac nocte in templo ejus: et qui sedet in throno habitavit super illos: non esurient, neque sitient amplius, nec cadet super illos sol, neque ullus æstus, quoniam Agnus, qui in medio throni est, reget illos et deducet eos ad vitæ fontes aquarum, et absterget Deus omnem lacrymam ab oculis eorum. Ecce tabernaculum Dei cum hominibus et habitabit cum eis. Et ipsi populus ejus erunt, et ipse Deus cum eis erit eorum Deus... Ego sitienti, ait Dominus, dabo de fonte aquæ vivæ gratis. Et spiritus et sponsa dicunt: Veni. Et qui audit, dicat: Veni. Et qui sitit, veniat, et qui vult, accipiat aquam vitæ, gratis. Etenim jam — 8) stabat Jesus et clamabat dicens: Si quis sitit, veniat ad me et bibat. Qui credit in me, sicut dicit Scriptura, flumina de ventre ejus fluent aquæ vivæ. — 9) Appropriate ad me indocti et congregate vos in domum

7) Apoc. 7, 17; 21, 6; 22, 17.
8) Ioan. 7, 37.
9) Eccli. 51, 32; 24, 29.

disciplinæ. Quid adhuc retardatis? et quid dicitis in his? animæ vestræ sitiunt vehementer. Aperui os meum et locutus sum: Comparate vobis sine argento. Transite ad me omnes qui concupiscitis me et a generationibus meis implemini. Spiritus enim meus super mel dulcis et hæreditas mea super mel et favum: memoria mea in generationes sæculorum. Qui edunt me adhuc esurient et qui bibunt me, adhuc sitient. — 10) Comede, fili mi, mel, quia bonum est; mel, Corpus Christi significat. — 11) Et super torrentem orietur in ripis tuis ex utraque parte omne lignum pomiferum: non defluet folium ex eo et non deficiet fructus ejus: per singulos menses afferet primitiva, quia aquæ ejus de sanctuario egredientur: et erunt fructus ejus in cibum et folia ejus ad medicinam. Etenim — 12) terra de aqua et per Aquam (est) consistens Dei verbo. — 13) Ecce ego, ait Dominus, ponam in deserto viam et in invio flumina. Glorificabit me bestia agri, dracones, struthiones quia dedi

10) S. Thom. op. 58, c. 2.
11) Ezech. 47.
12) II Petr. 3, 5.
13) Is. 43, 19, 20.

in deserto aquas, flumina in invio, ut darem potum populo meo, electo meo. Populum istum formavi mihi, laudem meam narrabit. — 14) Vincenti dabo edere de ligno vitæ quod est in Paradiso Dei mei, id est in Ecclesia militante per præsentiam corporalem in Sacramento altaris. Paradisus dicitur Ecclesia, quia Deus in ea suos amatores nutrit et reficit suavissimis refectionibus.

III. — Ad propitiationem.

1) Duo mala fecit populus meus: Me dereliquerunt fontem aquæ vivæ, et foderunt sibi cisternas, cisternas dissipatas, quæ continere non valent aquas. Exspectatio Israel tu, Domine: omnes qui te derelinquunt confundentur; recedentes a te in terra scribentur quoniam dereliquerunt venam aquarum viventium Dominum. In fletu venient, dicit Dominus, et in misericordia reducam eos et adducam eos per torrentes aquarum in via recta et non impingent in ea; quia fa-

14) Rich. a S. Laur., *de laud. B. V.*, 1. 12. S. Thom. in c. 2 Apoc.

1) Ierem. 2, 13; 17, 13; 31, 9.

ctus sum Israeli pater, et Ephraim primogenitus meus est.

2) Et factus est sermo Domini ad me dicens: Fili hominis, panem tuum in conturbatione comede sed et aquam tuam in festinatione et mœrore bibe. Et dices ad populum terræ: Panem suum in sollicitudine comedent, et aquam suam in desolatione bibent ut desoletur terra a multitudine sua propter iniquitatem omnium qui habitant in ea.

Etenim dereliquerunt fontem aquæ vivæ — 3) in quo faces exstinguuntur accensæ et accenduntur extinctæ. — 4) Nam quicumque corpus Christi digne manducare voluerit, necesse est ut moriatur præteritis. — 5) Per hoc enim quod carni morimur contingit nobis ut spiritu generemur. Juxta quem modum dicit etiam Dominus: Ego occidam et ego vivere faciam. Moriamur igitur ut vivamus. — 6) Ex paradiso enim fons scaturiit, a quo sensibiles fluvii emanarent; a mensa hac prodiit fons qui fluvios spirituales diffundit.

2) Ezech. 12, 18.
3) S. Isid., *Etymol.* l. 13, c. 13.
4) S. Aug., *ser. 20 de Temp.*
5) S. Basil., *Conc. de Bapt.*
6) S. Chrysost., *Hom. 45 in Ioan.*

Obturant aures suas ne audiant Dominum clamantem: — 7) Et vos eritis mihi in regnum sacerdotale et gens sancta; — 8) id est, eritis mihi regnum tam mundum, tamque impollutum ac si omnes essetis sacerdotes, quos mundissimos volo. Multitudo — 9) sicut viator sitiens ad fontem os aperiet et ab omni aqua proxima bibit et contra omnem palum sedit, et contra omnem sagittam aperiet pharetram donec deficiat.

10) Exspectat Dominus ut misereatur vestri: et ideo exaltabitur parcens vobis: quia Deus judicii Dominus: beati omnes qui exspectant eum: plorans nequaquam plorabis, miserans miserebitur tui: ad vocem clamoris tui statim ut audierit, respondebit tibi. Et dabit vobis Dominus panem arctum et aquam brevem et non faciet avolare a te ultra doctorem tuum et erunt oculi tui videntes præceptorem tuum. — 11) Congrue sacrum altaris panem dicit arctum, nimirum brevem; perinde enim in eo verbum abbre-

7) Ex. 19, 6.
8) Oleastr., *ib.*
9) Eccli. 26, 15.
10) Is. 30, 19.
11) Fid. Theor. p. 186.

viatum fecit Dominus. — 12) Fit demonstratio magnitudinis Sapientiæ artificis tantæ rei, scilicet Spiritus Sancti. Videmus enim quod artifices quanto sunt in arte sculpendi peritiores, tanto sculpunt imagines subtiliores. — 13) Alia versio legit: Dabit vobis Dominus panem angustum et aquam compressam. Nimirum, dabit vobis panem et aquam, qui perinde comedentes et bibentes arctent et comprimant ut sui juris amplius non sint. — 14) In illis verbis autem: et non faciet avolare a te ultra Doctorem tuum; legit Galatinus: Et non operiet se ala ultra Doctor tuus; ac si diceret: numquam se alis operiet ut a te discedere possit. Erit itaque tibi Christus tuus velut legatus, velut in carcere et in custodia inclusus. Homines autem abeuntes post desideria cordis pravi non audiunt verba illa: — 15) Medius autem vestrum stetit quem vos nescitis; tanto tempore vobiscum sum et non cognovistis me; in carcere non visitastis me.

12) S. Thom., op. 58 c. 13.
13) Fid. *ibi*.
14) Fid. *ibi* p. 421.
15) Ioan. 1, 26 et *alibi*.

IV. — Ad orationem.

1) Tu quoque, Domine, in sanguine testamenti tui emisisti vinctos tuos de lacu, in quo non est aqua. Dicebas jam: — 2) Ecce ego pluam vobis panes de cœlo: egrediatur populus et colligat, quæ sufficiunt. — 3) Profecto nobis spiritaliter egrediendum, ut colligamus quantum sufficere potest. Unde egrediendum? De pristina conversatione de vetustate vitæ. Nondum enim deposito vetere homine, non est nobis hoc manna colligere. — 4) Hujus sacramenti virtute possibile est ut qui de terra sunt, in cœlum ascendant; nam Christo, tamquam suo capiti cuncta membra corporis, adnectuntur omnes, qui per fidem hujus Sacramenti servant unitatem spiritus in vinculo pacis. Et sic unum corpus, una persona, unus Christus, caput cum suis membris, in cœlum ascendit.

Dictum est quoque: — 5) Ecce dies veniunt, dicit Dominus: et mittam famem

1) Zach. 9, 11.
2) Exod. 16.
3) Rup. Ab. *l.* 7 *c.* 5 *in Exod.*
4) Innoc. III, *de Myst. Miss.* l. 14, c. 44.
5) Amos 8, 11.

in terram: non famem panis, neque sitim aquæ, sed audiendi verbum Domini. Et commovebuntur a mari usque ad mare, et ab aquilone usque ad orientem: circuibunt quærentes verbum Domini et non invenient. Tu autem, Domine, 6) Verbum caro factum es et habitasti in nobis et vidimus gloriam tuam, gloriam quasi unigeniti a Patre plenum gratiæ et veritatis. Dixisti enim: — 7) Propter hoc sciet populus meus nomen meum in die illa; quia ego ipse, qui loquebar, ecce adsum. — 8) Visitabo vos et suscitabo super vos Verbum meum bonum, ut reducam vos ad locum istum. Ego enim scio cogitationes, quas ego cogito super vos, ait Dominus, cogitationes pacis et non afflictionis, ut dem vobis finem et patientiam. Et invocabitis me et ibitis; et orabitis me et ego exaudiam vos. Quæretis me et invenietis; cum quæsieritis me in toto corde vestro.

Eja ergo, Jesu suavissime, qui dixisti: 9) qui sitit veniat ad me et bibat; qui etiam cum publicanis et peccatoribus familia-

6) Ioan. 1.
7) Is. 52, 6.
8) Ierem. 39, 10.
9) Ioan. 7, 37 et *alibi*.

rius agere et manducare dignatus es; qui ut ostenderes potentiam ac divitias regni tui, fecisti nobis grande convivium et ad illud omnes regni tui subditos tam amanter vocare dignatus es; qui desiderio desiderasti antequam patereris, hoc Pascha manducare cum discipulis tuis, qui dixisti: non bibam amodo de hoc genimine vitis usque in diem illum cum illud bibam vobiscum novum in regno Patris mei; fac, quæsumus, ut illud bibamus in regno tuo et ad nos quoque peccatores divertere dignare, qui ad hoc divinum convivium refectionis tuæ lætanter et propere, sed numquam nisi veste nuptiali induti accedamus. Fac quoque, quæsumus, ut quemadmodum desiderat cervus ad fontes aquarum, ita ad te Deum vivum in hoc Sacramento desideret anima nostra; ad hoc amplius lava nos; non tantum pedes sed et manus et caput abluens, id est affectus, et operas, et intentionem, dum mensæ tuæ, aquæ refectionis participes esse cupimus, et convertatur anima nostra ut fructum vitæ et immortalitatis inde capiat, et renovetur, sicut aquilæ, juventus nostra.

PASCHALE CONVIVIUM

I. — Ad adorationem.

Verba sunt Domini: — 1) Noli me tangere; nondum enim ascendi ad Patrem meum. — 2) Ac si dixisset: Non accedas ad me, ut prius, non enim in eisdem res est, neque similiter debeo vobiscum esse et conversari. — 3) Quasi postquam ad Patrem suum ascenderit, osculari potuisset ad libitum, dicendum est Magdalenam ad Altaria misisse ubi dilectum suum, etsi in cœlum non iret, æque ac in cœlo convenire poterat, amplexari, osculari. — 4) Osculum Christi per corporis Christi et sanguinis gustum anima nostra suscipit. — 5) Taliter namque in Sacramento hoc se voluit exhibere hominibus, ut forma opertus visibili non videretur et a fidelibus præsens esse

1) Ioan, 20, 7.
2) Hugo Car., *ibid.*
3) Ben. Fid. theor. 1.
4) Lucas Ab., *in Cant.* lib. 2.
5) S. Laur. Iust., *de Cast. connub.* c. 6.

non dubitaretur. Ut seposito servili timore, ardentius sumeretur: si enim qualis est, humanis intueri voluisset aspectibus, nullus esset qui Dominicum auderet manducare Corpus. Præcipue tamen in hoc sancto mysterio illius charitas commendatur, illius majestas. Attamen de illo confidenter dicimus: — 6) Fasciculus myrrhæ dilectus meus mihi, inter ubera mea commorabitur, quia etsi prævaricata sum in eum, tamen pollicetur se habitaturum inter ubera mea. — 7) Qui omnibus scatere facit vitam, neminem vult eorum qui salvi fiunt, esse expertem hujus osculi; est enim ejus osculum purgamentum cujusvis sordis. Quam ob rem mihi videtur Dominus hoc exprobrasse Simoni leproso cum diceret: Osculum mihi non dedisti. Revera enim fuisset emendatus ab ægritudine, si ore attraxisset puritatem.

8) Infinite multiplex hæc tua, Deus, misericordia, ut qui panis es Angelorum, non solum hominum ditas et beatificas mensas, sed et fœnum factus jumentorum reples præsepia: utrique necessariam

6) Rab. Sel. *ibid.*
7) S. Greg. Nyss., *Hom. I in Cant.*
8) Guerr. Ab., *serm. 4 de Nat. Dom.*

alimoniam procuras, ut tam homines, quam jumenta; tam spiritales quam animales suo quemque gradu et ordine salves. — 9) Cogita quod hostia consecrata sit discus argenteus ubi est ille Agnus filius benedictæ ovis Virginis, coctus in Cruce. — 10) Quantum in se credis habere dulcedinis sanguinem filii hominis Jesu Christi? Bestiæ currunt in mortem suam, dulcedine sanguinis humani attractæ; et ego non festinabo ad vitam meam et ad sanguinem rubicundi Jesu et candidi? Imo vero festinabo emam et bibam, emam absque argento et absque ulla commutatione vinum et lac. Sed ut vere trahat cor hominis Jesu absconditur. — 11) Quælibet res ardenter amata trahit ad se cor, sicut calore solis trahuntur sursum vapores terræ. Ideo Apostoli quamdiu Christus fuit in terra, impediebantur a receptione cœlestium nec curabant elevare cor et desiderium in cœlum. Dicit Christus: Ego faciam elevare cor et intellectum in altum, quia ego ascendam in cœlum. Eucharistia cœlum est Christi.

9) S. Vinc. Ferr., *serm. 2 in fest. Corp. Chr.*
10) S. Bern., *de Past.* c. 33.
11) S. Vinc., *serm. de Asc.*

II. — Ad gratiarum actionem.

In loco pascuæ ibi me collocavit ubi vel ipsæ feræ mitescunt. — 1) Corpore Christi fit homo mansuetior, ad correptionem patientior, ad laborem ferventior, prontior ad obedientiam. — 2) Ferocissimos tauros ad fici arborem colligatos mansuescere dicunt. — 3) Ficus portat fructus dulcissimos qui maturati nigrescunt et signat Christum, qui in fine vitæ suæ temporalis niger et discolor jacuit in sepulchro; ipse est ferculum dulcissimum: — 4) ferculum Salomonis, — 5) ferculum adorandum, amplectendum, colendum, — 6) ferculum de numero singulare, singularissimum de præstantia, — 7) ferculum dulcissimum digne recipienti; unde dicitur: Fructus ejus dulcis gutturi meo; — 8) ferculum exaltandum cunctis præconiis, excellentissimum, firmiter in cor-

1) S. Thom. op. 59, c. 5.
2) S. Isid., *etym.* lib. 17 c. 7.
3) Rich. a S. Laur. *de Laud. B. V.* c. 12.
4) S. Bern. *serm. in Coen. Dom.*
5) S. Hier. apud S. Euseb.
6) Pintus, *de Conc.* V. n. 535.
7) Rich. a S. Laur., *de Laud. B. V. lib. 12.*
8) S. Hier. ubi sup.

dis visceribus retinendum, glorificandum: — 9) in quo Christus non cessat indulgere inimicis; — 10) in quo uno tota epularum varietas continetur et in quo uno tota dapum substantia saginandis hominibus apparatur; — 11) per quod tanta Divinæ suavitatis est transfusio in animam charitate ferventem, ut isti, mirabili quodam modo, nescio quid illius beantis visionis, quantum tamen statum viatoris decet, communicetur.

Ipse vere filios nutrit; ipse est lignum vitæ. — 12) Lignum vitæ Christus Dominus, qui viventes reficit Sacramenti sui participatione, per singulos menses reddens fructus suos: quia mensis dicitur a mene, quod est defectus. Quia per singulos defectus, quantum est in se, quodam modo supplet in hac vita; cum ipse etiam in præsenti sit omnia omnibus, idest sufficientia omnium. — 13) Dives enim est christiana religio, quæ in omnium possessore omnia possidet. — 14) Omnia Christus est nobis; si vulnus

9) Baez, *in Evang.* t. 1, lib. 3, c. 8.
10) Pint., *de Conc. B. V.* n. 532.
11) Novat. Euch. Amor.
12) Rich. a S. Laur., *de Laud. B. V. lib. 12.*
13) S. Aug. apud Hug. *ibi.*
14) S. Ambr. *lib. 3 de Virg.*

curare desideras, medicus est; si febribus æstuas, fons est; si gravaris iniquitate, justitia est; si auxilio indiges, virtus est; si mortem times, vita est; si cœlum desideras, via est; si tenebras fugis, lux est; si cibum quæris, alimentum est.

15) Ne timeas omnia dare, ipsa (Hostia) tibi sola sufficiet: nihil tibi deerit, si eam habueris. — 16) Dicendo Eucharistiam, omnem benignitatis Dei thesaurum aperio et magna illa munera commemoro. — 17) Etenim: Qui manducat meam carnem et bibit meum sanguinem in me manet et ego in illo. Quid enim ego nisi Deus, nisi Dei sapientia, nisi vera et summa et sempiterna Deitas? Ergo is, in quo maneo ego, divinitatem in se transfusam habens Deus factus est. — 18) Quotquot autem receperunt eum dedit potestatem filios Dei fieri, idest deiformes et Deo secundum imaginem similes. Nec potest creatura ad majus promoveri, quam quod suo assimiletur Creatori; assimilatur autem homo

15) S. Brun., *serm. 9 de Confessorib.*
16) S. Chrysost., *Hom. 20 in I ad Cor.* c. 10.
17) Rup., *in Ioan. ibi.*
18) S. Thom. op. 58, c. 25.

Deo virtute Corporis Christi. — 19) Quemadmodum si quis liquefacto auro manum aut linguam injiciat, quam primum deauratur; ita hæc Sacramenta nobis proposita animam auream reddunt. — 20) Quam dulcissimus est calix iste, ubi sanguinem sugimus et intra ipsa Redemptoris nostri vulnera figimus linguam! nec solum haurimus Christum sed ipsum induimus. — 21) Qui enim hujus sanguinis sunt participes cum Angelis et Archangelis, ac supernis virtutibus commorantur; ipsam regiam Christi stolam induti. Sed nihil dixi, imo ipsum induti sunt regem; — 22) sicut dictum est: mulier amicta sole et luna sub pedibus ejus.

III. — Ad propitiationem.

1) Domum Dei spiritualem seipsum quisque agnoscat, qui tamen non jam in carne ambulet sed in spiritu. Templum enim Dei sanctum est quod estis vos. Qui non ambulat in spiritu, justitiæ

19) S. Chrysost., *Hom. 60 ad pop.*
20) S. Cypr., *de Coena Dom.*
21) S. Chrysost., *Hom. 65 ad pop.*
22) Ap. 12, 1.
1) S. Bern., *ser. 46 in Cant.*

expers est; etenim — 2) omnis qui lactis est particeps, expers est sermonis justitiæ; parvulus enim est. Cum deberetis magistri esse propter tempus: rursum indigetis ut vos doceamini quæ sint elementa exordii sermonum Dei: et facti estis quibus lacte opus sit, non solido cibo. Æque loquitur qui dicit: Sicut ablactatus est super matrem suam ita retributio in anima mea. — 3) Propheta orat ut tanquam ablactato super matrem suam retribuatur animæ ejus, scilicet perfecti et cœlestis et viventis panis retributione fit dignus, quia opera sua jam cibum lactis excesserat. Jamvero — 4) edentes Sponsi membra et bibentes ejus Sanguinem nuptialem ipsius communionem assequuntur. — 5) Non comedunt autem eum spiritualiter nisi pauperes: quia qui plus diligit mundum quam Deum non comedit eum spiritualiter ad salutem, licet comedat Sacramentaliter ad damnationem. — 6) Miraris quod se Christus permisit assumi ab uno diabolo et non

2) Hebr. 5, 12.
3) S. Zen. M., *in Ps. 130.*
4) S. Thom., *in 3 Cant.*
5) Hugo Car., *in Ps. 21.*
6) S. Bonav., *serm. 4 Dom. I Quadr.*

miraris quod quotidie quasi a centum et mille hominibus, imo quasi a tot dæmonibus quot perversi homines sub Sacramento altaris recipitur? — 7) Dum peccato anima pascitur, panem justitiæ edere non valet; quoniam ligati dentes ex peccati consuetudine, justum, quod intus sapit, edere nequaquam possunt. — 8) Signum quia manducavit et bibit hoc est, si manet et manetur, si habitat et inhabitatur, si hæreat et inhæreatur. — 9) Super animam mortuam Christus non supervenit, quia sapientia est, et sapientia non intrat in animam malevolam. 10) Qui animæ suæ quærit refectionem, humilitate curvetur, qua possit citius ad Domini pervenire misericordiam. Et enim ait Dominus: nisi conversi fueritis et efficiamini sicut parvuli non intrabitis in regnum cœlorum: et qui susceperit unum parvulum in nomine meo, me suscipit. — 11) Ac si diceret: me suscipit, quia in talibus ipse sum, qui seipsos ita dejiciunt ut propter me ad tantam innocentiam redire velint, ut ha-

7) S. Hier. in c. 3 Jer.
8) S. Aug., *tract. 27 in Ioan.*
9) S. Cyril. Alex., *lib. 12 in Luc.*
10) S. Ambr., *in Ps. 118.*
11) Paschas., *in Matth.* 18, 4.

bitudinem quam habet puer ex ætate, ipsi per rationem et fidem in se susceperint. Ait quoque Dominus: Ego flos campi et lilium convallium. — 12) Quasi diceret: Mihi justitia placet, placet charitas, sed specialiter placet humilitas; unde non charitatem Mariæ prospexisse dicitur sed humilitatem. — 13) O humilitas angusta tibi, ampla Divinitati; insufficiens tibi, sufficiens ei, quem non capit orbis. Attamen — 14) si rex Babylonius ex captivitate eligens juvenes, honestos forma et decoros facie elegit: multo amplius et nos astantes mensæ regali, honestas specie animi esse oportet; ornatum habentes aureum, stolam mundam, calceamenta regalia, vultum animæ formosum et ornatu aureo circumdatam esse. — 15) Solus Christus inambulat et graditur in mente sanctorum ex quibus velut aureis basibus fundamentisque pretiosis solidata vestigia Verbi cœlestis baserunt. — 16) Cui pars Dominus fuerit, totus inhæret bono, totus exclusus est a sæculis actibus et præ-

12) Hugo Car., *in Cant.* 2, 1.
13) Guerr. Ab., *ser. 3 de Ass.*
14) S. Chrysost., *Hom. 17 ad Hebr.*
15) S. Ambr., *de fide* l. 3, c. 5.
16) Paschas., *in Hier.* 3, 24.

sentis vitæ oblectamentis. — 17) Omnia posponit dulcedini quam in cella vinaria gustavit. — 18) Anima saturata calcat favum; quia Corpus Christi satiat ad fastidium mundi faciendum. — 19) Gustandi Deum omnis delectatio mundi videtur amaritudo; gustate ergo et videte, quia dulcis et suavis est Dominus et numquam pœnitebit te de gustu Dei. — 20) Cum autem Sacramentum expletum fuerit, si affectionem ibi nullam habuit recogitet signum esse infirmitatis vel mortis. Ignem posuit in sinu et calorem non sensit; mel posuit in ore et dulcedinem non percepit? — 21) Quia autem in iis temporibus crebrescunt adversitates sæculi, ob hoc dicitur compelle intrare. Aliquando enim nos mundus retraxit a Deo sed nunc tot, tantisque malis plenum est, ut ipse nos jam mittat ad Deum. Hodie dicendum: Dominare in medio inimicorum tuorum, — 22) idest in justis qui dicuntur medium inimicorum id est infidelium: eo quod

17) Hugo Car., *in c. 7 Sap.*
18) S. Thom. op. 8, c. 9.
19) S. Bernard. t. 4, ser. 17.
20) S. Bon., *de praep. Miss.*
21) S. Anselm., *in Evang.*
22) S. Bruno, *in Ps. 109, 3.*

ab infidelibus et persequentibus undique circumdantur, sicut illud, quod medium est, ab iis quæ circumquaque sunt, circumdantur. — 23) Repanset in te cor meum, da lapso cibum, collige dispersum, libera captivum, reintegra scissum, ingrediatur ad te, et requiescat in te, et reficiatur de pane cœlesti.

IV. — Ad impetrationem.

1) Dominus regit me et nihil mihi deerit. Quid est nihil deerit, nisi petentibus aurem patentem præbere, et regit et nihil negat. — 2) Jesus Christus descendit in hostiam quasi Rex exiens de camera et ponens se ad audiendum in cathedra. Dum Sacrum facit Ecclesia reverentissime petit ut nostras preces, una cum angelicis vocibus Deus non dedignetur admittere. — 3) Tempore enim illo non solum homines clamorem illum faciunt sed etiam Angeli Domino genuflectunt et Archangeli rogant: habent sibi tempus id idoneum, habent sacram illam oblationem in favore. —

23) S. Aug., *Man.*, c. 3.
1) S. Chrysost., *in Ps. 22.*
2) S. Vinc. Ferr., *ser. fer. V post Dom.*, invoc.
3) S. Chrysost., *ser. 3 de nat.*

4) In sua præsentia non supervacue manducant lacrymæ veniam, nec umquam patitur contriti cordis holocaustum repulsam. Quoties in conspectu Domini video suspirantem, Spiritum Sanctum non dubito inspirantem, sentio ignoscentem.

5) Adeamus ergo cum fiducia ad thronum gratiæ ut misericordiam consequamur et gratiam inveniamus in auxilio opportuno. Etenim sapientia ædificavit sibi domum, excidit columnas septem, immolavit victimas suas, miscuit vinum et proposuit mensam suam: misit ancillas suas ut vocarent ad arcem, — 6) id est ad Sacramentum Corporis Christi, quod est contra inimicos munimen; nam — 7) quæcumque tutissima urbium sunt ab arcendo hostes arces vocantur. — 8) Bellum autem hoc potius pax debet appellari, quæ homini Eucharistia refecto, ipsa adsumit certamina: dum homo pace potitur in arce regia collocatus. — 9) Sanguis autem Christi clavis

4) S. Cypr., *de Cœn. Dom.*
5) Hebr. 4, 16.
6) Hugo Card., *in Ps. 22.*
7) S. Isid. *ib.* c. 2 etymol.
8) Escob. t. 2 in Ev. l. 8 pan.
9) S. Hier. ap. S. Thom. in op. 48.

est Paradisi. — 10) Attamen Sanguis Christi non est deterior igne Babylonico: ille scit Sanctorum in camino honorare corpora et Chaldæos comburere, quanto magis ille pretiosissimus scit perdere incredulos et salvare fideles.

11) Si cuncta mihi dederis quæ fecisti, non sufficit servo tuo nisi teipsum dederis. — 12) Ad imaginem tuam, Deus, facta est anima rationalis: cæteris omnibus occupari potest, repleri non potest: capacem enim Dei, quidquid est Deo minus non implebit. Itaque panem nostrum supersubstantialem fac gustare valeamus, panem qui tu ipse es. — 13) Pater æterne, qui amore nostri proprio Filio non pepercisti, sed pro nobis omnibus illum tradidisti; qui misisti Filium tuum in mundum non ut judicet mundum sed ut mundus salvetur per ipsum, et mirabili consilio salutem nostram operatus es in medio terræ; et Filium tuum quem, ab æterno, tibi æqualem genuisti, in tempore de Virgine nasci et in hoc Sacramento novo et adorabili modo existere et usque ad con-

10) S. Chrysost., *hom. post. de cruce et latr.*
11) S. Aug., *man.* c. 3.
12) S. Laur. Iust., *de lig. vitae* c. 5 *de spec.*
13) Rom. 8, 32 et *alibi.*

Titulus		*Pag.*
XXIV . .	Jesus: Thesaurus fidelium .	153
XXV . . .	Jesus: Bonus pastor . .	158
XXVI . .	Jesus: Lux vera . . .	164
XXVII. .	Jesus: Sapientia æterna . .	169
XXVIII .	Jesus: Bonitas infinita . .	174
XXIX . .	Jesus: Via et vita nostra .	180
XXX. . .	Jesus: Gaudium angelorum .	186
XXXI . .	Jesus: Rex patriarcharum .	191
XXXII. .	Jesus: Magister apostolorum .	197
XXXIII .	Jesus: Doctor evangelistarum.	203
XXXIV .	Jesus: Fortitudo martyrum .	209
XXXV. .	Jesus: Lumen confessorum .	214
XXXVI .	Jesus: Puritas virginum . .	219
XXXVII.	Jesus: Corona sanctorum omnium	225

APPENDIX

ex SS. Patrum Scriptorumque dictis

Jesus, Pastor bonus et panis ovium . 231
Resurrectio Christi 240
Benignitas et humanitas Salvatoris nostri Dei in Resurrectione et in Eucharistia 249
Christus in Eucharistia gloria et fortitudo præsentis vitæ et pignus æternæ gloriæ 260
Christus in Eucharistia gaudium amicorum suorum 268
Opus Dei maximum 275
Mensa Dei 290
Paschale Convivium 304

248.31
U11

Uccello, S.
AUTHOR

Enchiridion Sacerdotale
TITLE

DATE	BORROWER'S NAME	DATE RETURNED